



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

47 F 71

Insum D. Joan. Rehne. C. Donatus Biblio.  
ca Cler. Reg. S. Laetani Braga N.º 1439.

1871

XLVII  
F 71

Knihovna ČR  
fondy

F 71

Centrální knihovna



1002295009

JURIS GENTIUM NUCLEUS  
AD TRUTINAM RECTÆ RATIONIS APPENSUS,  
ET DIE SOLENNI

**S. HEDWIGIS,**

GRATIOSÆ ANNUENTIBUS  
ILLUSTRISSIMO ac EXCELLENTISSIMO  
DOMINO DOMINO

SACRI ROMANI IMPERII COMITE  
**JOANNĒ BAPTISTA DE NEIDHART**

SAC. CÆS. RFGIÆq; MAJESTATIS CONSILIARIO INTI-  
MO & CAMERARIO INCLYTI DUCATŪS LIGNICENSIS

CAPITANEO,  
REGIOQUE REGIMINE,  
SUB DIRECTORATU

ILLUSTRISSIMI DOMINI  
**DOMINI JOANNIS LUDOVICI DE HARBUVAL**

LIB. BAR. DE CHAMARE,  
IN ILLUSTRĪ REGIAQUE ACADEMIA  
**JOSEPHINA**

PRÆSIDE  
PRÆNOMLI, CLARISSIMO ATQUE CONSULTISSIMO  
**DOMINO DARIO DORETTI, U. J. D.**  
IBIDEMQUE PROF. PUB. ET ORDIN.

PERILLUSTRI DOMINO  
**FRANCISCO JOSEPHO KRESEL**  
de **GWALTENBERG**

EQUITE BOHEMO  
PUBLICĒ PROPUGNATUS,  
ANNO 1740.



LIGNICI, TYPIS VIDUÆ JO. CHRISTOPH. WETZOLDI



*Domus S. Mariae de Divina  
Providentia Cler. Reg. Pragae.*

1110  
1111  
1112  
1113  
1114  
1115  
1116  
1117  
1118  
1119  
1120  
1121  
1122  
1123  
1124  
1125  
1126  
1127  
1128  
1129  
1130  
1131  
1132  
1133  
1134  
1135  
1136  
1137  
1138  
1139  
1140  
1141  
1142  
1143  
1144  
1145  
1146  
1147  
1148  
1149  
1150  
1151  
1152  
1153  
1154  
1155  
1156  
1157  
1158  
1159  
1160  
1161  
1162  
1163  
1164  
1165  
1166  
1167  
1168  
1169  
1170  
1171  
1172  
1173  
1174  
1175  
1176  
1177  
1178  
1179  
1180  
1181  
1182  
1183  
1184  
1185  
1186  
1187  
1188  
1189  
1190  
1191  
1192  
1193  
1194  
1195  
1196  
1197  
1198  
1199  
1200

1201  
1202  
1203  
1204  
1205  
1206  
1207  
1208  
1209  
1210  
1211  
1212  
1213  
1214  
1215  
1216  
1217  
1218  
1219  
1220  
1221  
1222  
1223  
1224  
1225  
1226  
1227  
1228  
1229  
1230  
1231  
1232  
1233  
1234  
1235  
1236  
1237  
1238  
1239  
1240  
1241  
1242  
1243  
1244  
1245  
1246  
1247  
1248  
1249  
1250  
1251  
1252  
1253  
1254  
1255  
1256  
1257  
1258  
1259  
1260  
1261  
1262  
1263  
1264  
1265  
1266  
1267  
1268  
1269  
1270  
1271  
1272  
1273  
1274  
1275  
1276  
1277  
1278  
1279  
1280  
1281  
1282  
1283  
1284  
1285  
1286  
1287  
1288  
1289  
1290  
1291  
1292  
1293  
1294  
1295  
1296  
1297  
1298  
1299  
1300

HONORI AC NOMINI SPLENDIDISSIMO  
ILLUSTRISSIMI ac EXCELLENTISSIMI DOMINI  
D O M I N I  
PHILIPPI JOSEPHI  
K I N S K I

S. R. I. COMITIS  
DE CHINITZ ET TETTAU

DOMINI HEREDITARIII DYNASTIARUM KAMNITZ  
IN BOHEMIA, SCHLONITZ, ET PORTOWITZ,  
SAC. CÆS. REGIÆQUE MAJESTATIS  
INTIMI ACTUALIS CONSILIARII, & CAMERARII

NEC NON  
SERENISSIMI, atq; POTENTISSIMI REGIS BOHE-  
MIÆ SUPREMI CANCELLARII, PALATINI,  
AC JUDICII PROVINCIALIS ASSESSORIS.

DIGNISSIMI  
IN  
DEMISSISSIMAM OBSEQUII TESSERAM  
DICATUS.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY  
1215 EAST 58TH STREET  
CHICAGO, ILL. 60637  
TEL: 773-936-3700  
WWW.CHICAGO.LIBRARY.EDU

**ILLUSTRISSIME ac EXCELLENTISSIME  
DOMINE DOMINE MÆCENAS GRATIOSISSIME!**

**N**unquam ausus fuisset coram **ILLUSTRISSIMA EXCELLENTIA** Tuâ comparere laboribus meis academicis patrocinium imploraturus, nisi jam notissimum foret, Heroicos Animos ab impartendis gratiis nunquam defatigari. Ea est Clementiæ indoles, ut Divinitati similem faciat Principem, Ea est Benignitatis natura, ut Magnates Principibus non dissimiles reddat. Hanc veritatem agnovit jam aliquoties, inter cæteros, Academia  
Regia



Regia Josephina, cujus Cultores **ILLUSTRIS-**  
**SIMÆ EXCELLENTIÆ** Tuz publica fru-  
diorum suorum specimina dedicantes ineffa-  
bili solatio affecti sunt, quòd non solum  
repulsam non tulerint; sed imò acceptos ha-  
bere ausus gratiosissimè dedignata non fue-  
rit. Cur igitur non auderem gratiam tan-  
ti Mæcenatis humiliter implorare, cum me  
Commilitonum meorum fortuna audere, ac  
sperare jubeat? Non sum quidem promeri-  
tus: Verùm nec justitiam peto, sed Beni-  
gnitatem, que meritis non impellitur, sed  
spontè ad gratias distribuendas accurrit. Ac-  
cedit hereditarium Majorum meorum obse-  
quium ergà **ILLUSTRISSIMAM** ac **EXCEL-**  
**LENTISSIMAM KINSKIANAM** Progeniem,  
quod in me feliciter derivatum, non tan-  
tum inviolabile profiteor, & semper colam;  
sed & fiducia plenus Nucleum juris Genti-  
um in his pagellis, comprehensum in humil-  
limam venerationis tesseram offerre non du-  
bito.


Aspice

Aspice igitur **ILLUSTRISIME** ac **EX-  
CELLENTISIME** Domine Domine Comes  
munusculum meum, quodcunque sit, innatâ  
illâ benignitate, quâ omnibus favere soles,  
ut Eâ quasi animatus ad altiora surgam, &  
Augustissimo Principi, dulcissimæ Patriæ, Ti-  
bique Protector gratiosissime aliquando inter-  
vire possim & operibus, factisque magis, quàm  
verbis palam facere, quàm demississime vivam,  
& moriar

**ILLUSTRISIMÆ EXCELLENTIÆ TUÆ**

humillimus ac devotissimus servus  
**FRANCISCUS JOSEPHUS KRESEL**  
**DE GWALTENBERG.**





## PRÆFATIO.



astissimum ingredior pelagus, dum de Jure Gentium disserere suscipio; si enim quasi per profundum se ivisse asserit Justinianus, unius tantum populi Romani jura perscrutatus, quid nisi vastissimum dixerim pelagus jus gentium, quod non intrâ unius populi fines restringitur, sed totâ Europâ, vel potius toto terrarum Orbe vagatur? Igitur debuissim naufragium timere; nihil enim facilius, quàm in Æquore difficultatum submergi, ubi non tantum scabrosæ materiz, fluctuum iastar, inexpertum Navitam turbant; sed & variarum opinionum, inter se colluctantium Aquilones exagitant. Verùm Rationis Magnetem semper observans ita cursum institui, ut non in altum me nimis immitterem; prudentes illos imitatus, qui priusquam in Americam longissimum iter susciperent, non nimium à terra discedentes, deinde paulatim ulterius navigantes,  
A tandem

eandem ad remotissimas usque plagas procedere ausi, ad optatum terminum feliciter pervenerunt.

Innumeras difficultes tanquam Syrtes, & scopulos periculosissimos, alii examinandas, & superandas reliqui, nec enim cymbam decet æquora immensa fulcare, vel ultrà Æquatoris Lineam progredi, nè adverso Magnetis effectu confusus, quò nie verterem ignorarem. Novi enim audacia Ingenia ignotas intrasse profundiorum Difficultatum semitas, ubi tanquam in Dædaleo Labiryntho inclusa, vix evadendi spem aliquam retinuerunt. Hinc vel in errores, vel in absurdas opiniones quandoque in sententias ab infallibili Veritate alienas præcipites lapsi sunt. Media Via tutissima, & præstat non adèd in sublime volatum dirigere, quàm per aëra volitare, nec unquam in soliditate quiescere.

Putabam non sine ratione, mihi satis, satisque futurum, si ad Propositum meum Gentes in Populos redigerem, & quemlibet in duplici conspectu considerarem ad intra, & ad-extra, quatenus scilicet quædam aquod omnes Populos custodiuntur, quæ Populum in interna structione sua concernunt, sine quibus non est Populus, quibusq; sublati, neque constitui, neque diu conservari potest; Alia verò, quæ Populum omnem concernunt, sed respectivè ad alium Populum, sine quibus scilicet Naturali Hominum Inclinationi ad Socialitatem colendam satis fieri non potest. Dixi Naturali Hominum inclinationi ad Socialitatem; Natura enim cuilibet Creaturæ indidit: Omne Simile suum Simile amare, quod non solum in Angelica Societate

Societate, ac Rationali Univerſitate nōtiſſimum; Sed & in Animantibus etiam ratione carentibus evidenter patet. Imò & aliquid ſimile in ipsis inanimatis conſpicitur, cum ea, quæ ejusdem Naturæ ſunt propenſiora cum ſimilibus, quàm cum diſſimilibus, cum Homogeniis, quàm cum Heterogeniis conjunguntur. Metalla Metallis uniuntur, & potiùs pura, quàm impura, puris, Naphta ignea amplectitur, gravia deorſum tendunt, flumina in mare fluunt, quia ſimile ſimili gaudet. Hinc non niſi Miſantropiâ barbarâ laborantes, Homines oderunt, & quidem reluctantante Natura, cum alias nihil Humanitati congruentius, & naturalius ſit, quàm Hominem ab Homine amari. Et hic Societatis Amor tantæ extensionis eſt, ut non in una familia, non in una Civitate, non in uno tantùm populo contineatur; Sed ad omnes Homines extendatur; Quid enim gratius, quid dulcius Homini in aliqua deſerta Inſula poſito, quàm iterùm Hominem, utut ignoſſimum conſpicere, ac amplecti? Huius naturali Societatis Amori acceſſit Utilitatis, & Neceſſitatis Ratio; Nam cum non ubique neceſſaria, & Utilia inſimul repèriantur, quæ tamen ob amorem proprium quæruntur, debet neceſſariò quilibet Populus fines ſuos egredi, ab aliis, quæ ſibi deſunt, impetraturus. Hinc Legationes, Commercia, Fœdera, & ſi opus fuerit, Bella, deinde Paces introductæ, de quibus cum aliis Populis agendum.

Mirabitur forſan quis, in noſtra Diſſertatione, parum, aut nihil ex juris Civilis, aut Canonici textibus allegari. Verùm ubi agitur de Negotiis ad omnes populos

☆ ( 4 ) ☆

pulos generaliter spectantibus, non poterant Romanorum Leges, aut Pontificiarum Constitutiones pro Cynosura proponi, cum quæ uni Populo in specie inserviunt, non possint pro Omnibus inservire, aliud enim est jus Gentium, & aliud jus Civile. Bas tamen leges civiles non abjecimus, quibus Generalia juris Naturæ præcepta exponuntur, & pro Regula in omnibus actionibus humanis à Prudentissimis Romanorum Legumlatoribus agnitar, ac approbatæ sunt, quæ non minus in uno, quam in alio populo secundum Dictamen rectæ Rationis agentæ, tanquam jus naturæ ad amissim servandæ sunt.

De hoc igitur jure ILLUSTRISSIMO ac EXCELLENTISSIMO DOMINO DOMINO COMITE CAPITANEO, ILLUSTRISSIMO Regio Regimine, Dignissimo ACADEMIÆ DIRECTORE, Amplissimis Incltyti Ducatûs Patribus, totoque Ornatissimo Auditorio faventibus more solito differendum duxi, præmissa humilissima prece, ut labores meos, quicumque sint, æquibonique facere, solitæque gratiâ, benignitate, ac patientiâ prosequi non dedignentur.

••• ( 0 ) •••

De

☆ ( 3 ) ☆

## De Essentia Juris Gentium.

### Pars I.

**J**us Naturæ radix, & origo Legum, & Constitutionum omnium est; sicuti enim Arbor in ramos distenditur, fons in varios rivos diffunditur, ita à jure Naturæ quæcunque jura, quæ Leges habent vigorem, provenire, ac diramari, nullus unquam in dubium revocavit. Incontestati juris est, Leges, ut obligent, Rationi conformes sint oportere, & jus Naturæ est Lex illa Voluntati à recta Ratione imposita de actu moraliter bono peragendo, de actu verò moraliter malo declinando, sive omittendo. Hoc supposito, leges omnes, Constitutiones, aut Consuetudines comprehendunt, & ligant hominem, ergà Deum, ergà se ipsum, & ergà cæteros homines. De Justitia Legum primi ac secundi generis alibi, nunc de tertio.

## De Quidditate Juris Gentium.

### Titulus Primus

**C**ùm totum genus humanum magis latè poteat, quàm ut in una Republica comprehendatur, in distinctas Respublicas homines divi sunt, quæ Nationum, seu Gentium nomine veniunt. Ex his iterum Nationibus Populi coaluerunt, qui superiorem non agnoscunt, vel



☆ ( 9 ) ☆

agnoscentes quidem, in quem summam potestatem transfu-  
lissent, iterum sub certis, propriisque legibus vivere vo-  
luerunt, quæ juris Civilis nomine veniunt, tanquam jus  
proprium Civitatis, de quibus immensa volumina refer-  
ta sunt, & de quibus hic sermo non est. Tota igitur  
nostra Dissertatio de his legibus agit, quæ gentem,  
seu populum erga gentem, seu populum ligant, & quæ  
Jus Gentium appellantur.

§. I.

Et ecce Etymologiz Ratio, quia scilicet inter popu-  
los, seu gentes locum habet. Hoc autem intelligitur de  
gentibus moratis, quæ scilicet Legibus vivunt, Naturæ,  
sive rectæ Rationis dictamina sequuntur, & colunt; Nam  
Hi, qui conculcata Ratione, efreni Voluntati, Animique  
pravis Affectibus obsequentes, sine Lege, sine Ratione  
vivunt, non inter homines, sed inter bruta connumeran-  
di, cum idem sit non esse, ac non apparere, non habere,  
æ inutiliter habere, legibus destitui, ac legibus nolle  
obtemperare. Hinc sapientissimè Gentium Doctor inquit:  
*De his, qui foris sunt, nihil ad nos.* His, qui  
extra limites Humanitatis sunt, jura, legesque dicere su-  
pervacaneum, nam cum aliis hominibus nihil habentes  
commune, vix homines dicendi sunt.

§. II.

His præmissis, Jus Gentium describi potest: Jus  
non-scriptum, quò ad ductum juris naturæ omnes popu-  
li

li inter se utuntur ad majorem vitæ commoditatem. Dicitur: *Jus non-scriptum*: quamvis enim Icti dicant, quod gentes quædam jura sibi constituerunt, non tamen expresse, seu lata lege, voluntate scilicet expressa, sibi tale jus statuerunt; sed tantum tacite, per usum, & mores Utentium hujusmodi jura sibi constituerunt, idest introduxerunt, quod proprium est cujuscunque Consuetudinis; Nec enim unquam omnes homines in unum convenire potuissent, non tantum propter Locorum Distantiam, sed & propter Indolis diversitatem, ac Naturalem ad dissentendum inclinationem.

§. III.

Per ea verba: *ad ductum juris naturæ*: intelligitur, jus gentium cum jure naturæ convenire in eo, quod scilicet nihil possit esse de jure gentium, nisi jure naturæ innixum sit: cum enim ab hoc jure, omnia jura, & omnes Consuetudines deriventur, non potest esse jus gentium, nisi sit conforme juri naturæ, seu Dictamini rectæ Rationis. Hinc imperator ait: *Naturalis Ratio, exigente necessitate, & utilitate &c.* Hinc siquæ Consuetudo apud aliquos populos vigeat, quæ juri Naturali conformis, non sit, non erit jus Gentium, quod à jure Naturali recedere non potest: Præterea Consuetudo, quæ rationabilis, uti vocant, non est, non consuetudo, sed corruptela nuncupanda.

§. IV. Di-

Dictum est in Definitione; *Omnes populi*: ubi termini capiendi sunt distributivè, non collectivè, ut scilicet excludantur Sylvestres, & barbari sine lege viventes, uti suprâ dictum est. Nec propterea definit jus hoc esse Universaliter introductum; nam in quacunque Communitate id ab omnibus constitutum esse dicitur, quod à majori Communitatis parte conclusum, ac firmatum, seu receptum est; Majus enim, ut dignius, trahit ad se minus. Sufficit igitur, quòd maxima populorum pars hujusmodi jus observet, pauci enim illi homines, qui vel in remotissimis, aut occultis terrarum angulis habitant, tanquam è numero hominum sublatis, pro nihilo reputantur.

Per illa verba: *inter se utuntur* intelligitur, jus hoc gentium locum habere inter integros populos, ubi scilicet agitur de negotio totam Rempublicam concernente, non de his, quæ privatos respiciunt; nam ea non tam à jure gentium, quàm à Jure Civili, cui subsunt privati Cives, diriguntur, ac deciduntur. Cùm porro Par in Parem non habeat imperium, si qua Lis inter populum, & populum oriatur, neutrius Legibus decidi potest, proinde jure aliquo superiori terminanda, quod utranque partem ligare possit; Quod certè nullum est aliud, quàm

quàm jus gentium, quod omnes populos, idest summas potestates sub se tenet-

§. VI.

Denique dictum est: *ad majorem vitæ commoditatem.* Cùm enim, uti ait Poeta: *Non omnis fert omnia tellus.* Necessum fuit, Societatem humanam introducere, ac diligenter colere, ut quod uni deesset, ab altero impetraretur, & homines ea, quibus indigerent, ab aliis quærerent, his vicissim communicatis, quæ haberent superflua, vel saltem minùs necessaria, & ex inde Utilitas aliqua redundaret. Hinc patet, quòd Utilitas, & Necessitas in causa fuerint, cur jus gentium introduceretur, ad vivendum, & commodè vivendum. Verum quidem est, Naturam paucò esse contentam, uti patet in illis hominibus, qui sub Polo viventes paucis indigent; ast vivunt quidem, sed non commodè vivunt, uti vivunt illi, apud quos jus gentium viget, & perzque custoditur.

§. VII.

Non deerunt, qui revocent in dubium, utrum detur jus gentium? Probant negativam ex eo, quod I Jus pro Lege sumptum feratur à Superiore; Atqui jus gentium non est Lex lata à Superiore; Ergò tale jus non datur. II Omne jus, sive Lex in hoc sensu fertur in invitos,  
B
quia

quia inferiores velint, nolint debent dirigere actiones suas Morales ad ductum Legis; Atqui jus gentium non obligat invitos, cum nemo sibi possit imponere legem, à qua recedere non liceat; Ergò jus gentium non datur. III Nulla Lex pendet ab alia Lege; Nam hæc Lex superior vel jam comprehendit casum, vel non. Si prius; ergò est comprehensio Legis per Epichiam; Si posterius; Ergò non pendet à priori; Atqui jus gentium pendet à Jure Naturæ, idest comprehenditur in Jure Naturæ; Ergò non est jus distinctum à jure Naturæ.

§. VIII.

Verùm erroneè ratiocinantur; Nam quò ad I distinguendum est inter jus scriptum, idest præscriptum, & jus non-scriptum, idest per usum, moresque Utentium introductum. Alterum fertur à Superiore, alterum ab ipsis utentibus; Postquam autem jus non-scriptum est legitime introductum, eodem modo, eademque efficacia ligat, sicuti jus scriptum; Imò fortius, quia propria voluntate obligantur, ubi in alio casu, à Voluntate Legislatoris coguntur subditi qui de injuria conqueri non possunt, quæ non fit Volenti. Quòd si uni, vel alteri, qui forsitan non intelligit, vel non vult intelligere, quod à cæteris dispositum ac determinatum est, non arridet, nihil refert, cum hoc per accidens sit, quod non tollit principale parte subsistens, & accidentaliter advenientia non mutant rei substantiam. *L. 5. ff. de A. R. D.*

§. IX. Quò

§. IX.

Quò ad secundum, disting: iterùm, jus scriptum fertur invitis, quia subditi, & inferiores sunt, nec ad vigorem Legis requiritur Voluntas, & acceptatio subditorum: est enim effectus Majestatis territorialis, uti docent communiter DD<sup>es</sup>. Jus autem non-scriptum non fertur invitis, quò ad introductionem, conc. quò ad observationem, neg. Postquam enim Consuetudo, seu jus non-scriptum, à Voluntate Communitatis pendens ab omnibus, seu majori parte eorum, qui Communitatem constituunt, introductum est, debet ab omnibus, & quolidet membro, seu privato sanctè observari, alias potest à legitima Potestate, & ab his, quibus executio legum commissa est, statutis pœnis cogi, ac delinquentes puniri.

§. X.

Ad tertium dico, Argumentationem veram non esse, quia nulla datur Lex, quæ non pendeat à jure Naturæ, tanquam à fonte inexhausto, à quo leges omnes derivantur. Unde Lex non pendet quidem à Lege particulari, sed à Generali, seu Universalì. Sic si lata sit Lex de solvendis tributis, & à superioribus emanet præceptum, seu jussum certis personis solutionem procrastinantibus de rata sua contribuenda, hæc particularis Lex pendet, idest refertur ad priorem generalem, non autem habet esse ab ea, sed ab Authoritate Mandantis. Sic

etiam in nostro casu, jus Gentium pendet à jure Naturæ; quò ad bonitatem Moralem actuum non autem quò ad essentiam, quam recipit à Voluntate, per mentis dictamen illustrata Constituentium; igitur totum argumentum nihil concludit; Ergò datur jus gentium distinctum à jure Naturæ propriè dicto, quòd illud versetur circa ea, quæ concernunt negotia populorum; hoc verò circa bonitatem, vel malitiam actuum moralium, alias nec jus Civile daretur, quòd etiam in jure Natura fundatum est: Hinc optimè observârunt DD<sup>es</sup>, alia esse juris gentium, & alia de jure gentium: illa scilicet esse, quæ respiciunt omnes in communi, & in particulari, hæc verò, quæ respiciunt homines quatenus varios populos constituunt. Sic uxorem ducere, contrahere, ambulare per vias publicas &c. est juris gentium, quilibet enim potest uxorem ducere, contrahere ire per viam publicam &c. nisi ex legitima causa supervenienti prohibeatur. Bellum gerere, Legatos mittere &c. est de jure gentium, quia scilicet non cuique particulari talia licent; sed tantùm illis Communitatibus, quæ Majestàte pollent, vel his, quibus summa potestas à Communitate, seu populo transmissa est.

## De Necessitate Juris Gentium.

### Titulus Secundus.

**S**upra dictum est in expositione Definitionis juris gentium, necessarium jus hoc esse, & hoc verum est. Ut

\* ( 13 ) \*

Ut igitur magis eluceat, in quo hujusmodi necessitas consistat, quædam hic examinanda sunt, ex quibus assertionis Veritas clarius appareat.

Necessitas ad propositum nostrum est indigentia ejus quod cuique deest; Nemo enim ejus indiget, quod jam habet. Ea porro, quæ defunt hominibus, respiciunt, vel Animum, vel Corpus. Prioris ordinis sunt Virtutes, Scientiæ, ac Artes: Posterioris ordinis sunt, conservandi sui, ac speciei, media: Prima consistunt in victu, & amictu, in commodis, item in licitis, ac honestis Voluptatibus; in defensione contra mala, quæ ab extrinseco imminet, aut inferri possunt &c. Species conservari non potest, nisi mediante conjunctione viri cum muliere, proli procreatione, ejusque educatione, aliisque illuc pertinentibus.

§. II.

Inter ea, quæ Animum concernunt primum obtinet locum Religio, cujus omnes populi indigent, cum humana Ratio videat, non posse populum esse beatum, nisi felicitas ejus aliqua Religione fulciatur, ita ut sapientissimè Oratorum Princeps dixerit, nullam unquam fuisse Nationem, cui non esset insita Deorum (idest Divinitatis). Notio. Optimè quidem, quia Ratio humana

B3 etiam



etiam sine alicujus instructione, seu Doctrina optimè videt, ubi datur **Creatura**, ibi & dari Creatorem, oportere, cum effectus nequeat existere sine causa, sicuti actus sine **potentia**. Si quis igitur Populus majori in puncto Religionis indigeat notitia, jus est illi eam, ubicunque potuerit, quærere, nec ab ullo prohiberi potest.

§. III.

Alterum, quò ad Animum, quò Populus indiget, sunt **Virtutes Morales**, quæ scilicet faciunt ad humanos Animos excolendos, & ad **grandia**, seu sublimia suscipienda. Inter illas prima est **Justitia**, quam omnes populi morati semper excoluerunt, plus, minus juxta illorum indolem, & quantum illorum ingenium comprehendere posset. Hinc omni ævo inventi sunt apud quemlibet populum sapientes Viri, qui modum justitiam administrandi; imò & ejus præcepta, sive positiones addiscendi subministrârunt, docuerunt, & accitis aliunde Viris, qui populum instruerent, Academias, aut Scholas publicas instituerent ad juventutem, utpotè quæ docilior proveciori ætate esse solet, erudiendam, ut discerent de **Justitia** in quocunque casu judicare, quæstiones, & lites dirimere, cæteraque illuc spectantia non ignorarent. Prudentissimè considerârunt, justitiam esse basin, ac fundamentum publicæ tranquillitatis, quæ sublatâ, omnia pessum ire necessum sit.

§. IV. Huic

§. IV.

Huic succedit Prudentia, Virtus illa, quæ præterita, præsentia, & futura, prout humanitati licet, respiciens, bonis aperit viam, malis autem obviam it, nè ab illis ex improvîso opprimatur. Ubi forsân Ingenii Lumen non adedò clarè videt, jus est populo aliquem invenire, aut eligere, qui non modo prudens sit; sed & prudentes faciat, itâ ut nulli alii populo jus sit, illum à laudabili instituto avertendi, aut prohibendi, cum nihil magis deceat homines, quàm prudenter agere, & prudentibus abundare. Optimè egerunt Romani, qui non tantùm ingenium excoluerunt, sed & per Viros doctissimos ex prudentissimis Græciæ Civitatibus, quod sibi deerat in Urbem afferri voluerunt. Hinc factum est, nullam, vel vix ullam fuisse unquam Nationem, quæ tot tantisque prudentissimis Viris abundaret.

§. V.

Tertia est Fortitudo, quæ bifariam consideranda, vel in grandibus suscipiendis, vel in adversitatibus generoso saltem animo ferendis. Floruerunt quocunque tempore fortissimi Viri, qui hanc, vel illam patriam illustrârunt, qui concives ad grandia obeunda docuerunt, & quidem magis exemplo, quàm verbis. Quòd si desint in populo, qui fortitudinem de factò exerceant activam, jus est illi genti aliunde fortissimos Viros, maximis propositis præmiis, ac emolumentis accersere, uti de Rudolpho

pho I. Romanorum Imperatore notant Historici, Eum à pluribus populis avocatum, ut bellica sua Virtute illorum Militibus imperaret. Sin autem tantà sit adversa sortis Iniquitas, ut nullâ prudentiâ, nullaque vi superari possit, discant homines ejus injurias patienter ferre, neque coram periculis, ac irruentibus malis, terga vertere, vel in Desperationem decidere. Pudeat in æternum Sardanapalos, qui modis omnibus vincendi amissis, in turpissimam desperationem prolapsi, inter flammam maluerunt perire, quàm quocunque pacto vitam conservare, quò factò, potuissent forsàn aliquando ad pristinum statum redire. Non sic generosissimi Romani, qui bella, clades, pestem, aliaque infortuniâ fortiter sustinentes, ex omnibus gloriosissimè iterùm surrexerunt.

§. VI.

Quartum tenet locum Temperantia, quam in populo florere, maximè interest; fieri enim non potest, intemperantes Animos diù, beatèque vivere posse. Statim ac populus Luxu, ac Voluptatibus aperit viam, ad interitum properat; Nam Intemperantia omnium vitiorum mater, & nutrix est, & ubi semel Mollities Animos invasit, spiritus illicò ab antiquo vigore degenerarunt. Certè Hannibal à Capuanis deliciis plus damni passus est, quàm à tot, tantisque laboribus bellicis, quibus antea se suosque fatigaverat. Hinc Cyprii molles, & effeminati innumeris bellorum flagellis passimè succubuerunt.

§. VII. Hæc

Huc revocandæ sunt Artes, quæ maximè populum augent, ac illustant. Tyrionum Vis, ac Potestas in immensum crevit per Artes. Non tamen omnes invenerunt, sed propositis præmiis Inventores ad se trahebant. Hinc notissimum est, illas Nationes maximè viribus, ac divitiis pollere, quæ maximè artes fovent. Nec distinguimus inter Liberales, & Mechanicas, utraq; enim ad salutem, & commodum populi faciunt, quælibet in sua sphaera. Hoc igitur inter populos jus est, ut peregrinentur Juvenes in eas provincias, in quibus Artes maximè florent, ut redeuntes domum afferant tales notitias, è quibus commodum Reipublicæ obveniat. Laude certè dignissimi sunt Germani, qui non solum domi artibus operantur, sed et inexteris provincias peregrinantes ipsi perficiuntur, ut in quocunque Artium genere excellent.

§. VIII.

Corpus quod attinet, ad hoc scilicet, ut necessariis commodioris vitæ subsidiis abundarent homines, oportuit jura quædam introduci, quibus sublatis, fieri nequiquam potuisset, eos pluribus non destitui. Altera Regio animalibus, altera vegetabilibus, altera aromatibus, tertia mineralibus scætet, sine commerciorum usu, quomodo potuissent hæc omnia indigentibus communicari? Nonne sine Vino debuissent quàm plures populi vivere, vel aquam continuo bibere, nisi quod in uno loco crescit, in alium transveheretur? Nonne generosis Arabiz, Hispaniz,

spaniz, aliarumque provinciarum carendum foret equis, nisi alii vel mercibus, quibus abundant, vel paratâ pecuniâ compararent? Nec possent commercia subsistere, nisi certis introductis usibus, legibusque conservarentur. Hinc patet, ad commodam vivendi rationem opus fuisse, jura, quæ vocantur gentium, firmari, & peræquè apud omnes gentes custodiri.

## De mutabilitate Juris Gentium.

### Titulus Tertius.

Jus Naturæ pro lege sumptum immutabile esse, non tantum ab Imperatore Justiniano §. 11. *Inst. de J. N. G. & C.* traditum; sed & apud omnes in comperto est. Hoc autem intelligitur, nisi mutetur objectum, ita ut non amplius sub juris Naturæ protectione, ut loquuntur, sit. Ex hoc fundamento, quæ jus Gentium à jure Naturæ non distinguunt, concludunt, illud etiam immutabile esse. Nos autem putantes hæc duo jura in eo distinguere, quod jus Naturæ habeat pro objecto formali honestum, & justum, jus verò gentium justo, ac honesto addat, necessarium, ac Utile, probabiliter tenemus, jus gentium in totum quidem immutabile fore, mutabile tamen pro parte, prout ex sequentibus clarius patebit.

#### §. I.

Si jus gentium in totum mutari posset, deberet necessario mutari quò ad honestum, & justum; Atqui hoc fieri

fieri nequit; ergò jus gentium in totum mutari non potest. Major est clara, minor patet, quia respectu honesti, ac justii jus gentium est jus Naturæ, quod immutabile est, quamdiu objectum honestum, justumque manet; uti alibi dictum; Ergò & jus gentium, quò ad hanc partem immutabile semper erit. Quòd porrò jus gentium respectu honesti, ac justii sit jus Naturæ, nemo facilè inficias ibit, quia debet esse conforme rectæ Rationi, quatenus actus moraliter bonus, vel malus est, ac proinde imperatus, vel prohibitus. Cùm igitur moralis bonitas, aut Malitia sit Actui essentialis, & intrinseca, non potest ab eo separari, nisi actus ipsius essentia mutetur, quòd non minus in actibus juris-gentium, quàm in actibus juris Naturæ locum habet.

§. II.

Porrò genus humanum nequit jus Naturæ tollere, alias poneretur Ens, sive Res sine essentia, quòd naturaliter planè repugnat, esset enim Homo sine Ratione, quæ ponit essentiam Hominis; Ergò nec jus Naturæ tollere potest, quia hoc jus est effectus necessarius Rationis, & proprium Metaphysicum, & quidem adeò ut nullò modo possit impediri, eo modo, quò positò igne, Calor naturaliter impediri non potest, aut positò Sole, non poni Lux; Atqui Natura Humana agit quò ad justum, & honestum, in his, quæ juris gentium sunt; Ergò ea, quæ justa, & honesta sunt de jure gentium, nullatenus tolli,

C 2

aut

aut mutari possunt, donec humana Natura juxta rectam Rationem, ejusque dictata judicare, ac agere debet.

§. III.

Ulterius, si totum jus gentium mutari posset, idè foret, quia omnes actus juris gentium essent indifferentes, seu tales, qui poni, vel non poni, fieri, vel non fieri possent; Omnes enim actus humani sunt vel imperati, quia boni, vel prohibiti, quia mali, aut permessi, quia indifferentes, uti apud Ethicos in comperto est; Atqui non omnes Actus juris gentium indifferentes sunt; Sed alii tales, alii verò imperati, & alii prohibiti, uti examnanti facile patebit; Ergò jus gentium in totum immutabile est, semper enim quædam ejus Conclusiones fu-  
peressent, quæ mutari, salvo jure Naturæ, non possent.

§. IV.

Denique, si Jus Gentium deberet mutari, deberet vel à Deo, vel ab Hominibus, vel à Causis Physicis mutari; Atqui neutrum dici potest; ergò jus gentium in totum mutari non potest. Major est certa, nam quæcunque in sublunaribus posita sunt, non aliâ potentiâ mutari possunt, quàm à Divina, vel ab humana in his, quæ ab Hominis potestate, ac Voluntate pendent, uti patet in jure Civili, quod sæpè mutari solet, uti ait Justinianus cit. loc. Vel denique à causis physicis, uti sunt tempus,  
terræ

terramotus, fulmina, aliaque Metheora &c. Minor etiam patet, quia certe Moralia, causis physicis, quæ tantum in materialia agunt, minime subsunt; non ab ipsis hominibus, qui subsunt juri naturæ à quo plurima Jus Gentium habet; Non denique à Deo quia Deus non potest efficere, ut bonum non fiat, & malum fiat, utrumque enim efficit oppositum; divinæ suæ essentiæ; Ergò indisputabile est, quòd jus gentium in totum mutari non possit.

§. V.

Verùm quis objiciet. I. De Natura Consuetudinis est, ut ab introducentibus mutari possit. Imperator cit. loc. & Ratio est, quia nemo sibi potest Legem imponere, à qua recedere sibi non liceat: *L. 22. ff. de leg. 3.* Atqui in Definitione juris gentium supra dictum est, jus hoc esse consuetudinarium; Ergò ab ipsis hominibus mutari poterit, sicuti populus aliquis specialis consuetudinem à se introductam in totum mutare potest, *R. deo. Consuetudo*, quæ est præter Legem mutari potest, *conc.* Consuetudo, quæ est secundum legem, mutari potest, *neg.* Majorem; Atqui jus Gentium est jus non-scriptum pro parte præter legem, *conc.* in totum, *nego*; Ergò mutari potest pro parte, *conc.* in totum, *nego*. In his enim, quæ de jure gentium custodiuntur, tanquam imposita à jure Naturæ, & in ejus observantiam, seu executionem, mutari non potest, quia mutaretur jus naturæ præceptivum, quod fieri nunquam potest, cum hoc jus immutabile sit.



§. VI.

Objic. II. Siquidem Voluntas humana suis in actionibus libera, nullisque legibus alligata est, etiam ea, quæ à lege Naturali prohibentur facere & quæ ab eadem lege mandantur, non facere potest, alias non esset potentia libera; Ergò si omnes Homines velint agere contra jus Natura, possunt tollere, quæ sunt juris Naturæ; Ergò & totum jus gentium; Ergò hoc jus planè immutabile non est, etiam in totum. R<sup>deo.</sup> Concedo Antecedens, disting. consequ. mutarent jus gentium in totum, & peccarent, conc. mutarent in totum, & non peccarent, neg. conf. Possem etiam dicere, quod tali casu Natura humana perverteretur, & de rationali in brutalem transformaretur; jus autem gentium, quatenus respicit honestum, ac justum maneret immutabile; Quamvis enim non esset conforme tali Naturæ corruptæ, ac perversæ, esset nihilominus conforme rectæ Rationi in abstracto sumptæ, quæ saltem, vel in uno solo individuo reperiretur, vel si, dato per impossibile, nec unicum dari individuum, in quo recta Ratio judicaret, saltem de hominibus, ac individuis possibilibus prædicaretur. Eo modo, quò species humana est adhuc species, etiam omnibus individuis, sublatis, sufficit enim, quòd de possibilibus, quæ saltem Divinæ Omnipotentis possibilita sunt, prædicari possit.

§. VII.

Objic. III. Basis, & fundamentum juris gentium est Necessitas, & Utilitas. §. 2. *Inst. de J. N. G. & C.*  
Ergò

Ergo sublata necessitate, & Utilitate, tollitur etiam jus gentium, sublato enim fundamento, ædificium totum corruat necesse est. *can. Paulus dist. 4.* Atqui certum est, homines tum Necessitati, nihil scilicet appetendo, quam quod à Natura ipsis obvenit, cum Utilitati, nihil ab alienis ad majorem commoditatem, ac voluptatem querendo, renunciare posse; Ergo etiam totum jus gentium mutare, ac planè tollere. *R<sup>deò.</sup> Necessitas, & Utilitas, est fundamentum parziale, seu superadditum juris gentium; conc. fundamentum Principale, ac essenziale, nego; Nam jus naturæ est fundamentum princepele totius juris gentium; Ad subsumptum iterum disting. Populi possunt renunciare Necessitati, ac Utilitati in quibusdam, conc. in omnibus, neg. subsumptum, &c.*

§. VIII

Quòd porro jus gentium pro parte mutari possit, non magna indiget probatione, quia quod patet expresse, non est probare necesse; Indisputabile siquidem est, quædam esse de jure gentium, quæ obligationis naturalis sunt, & quædam, quæ liberæ Voluntatis, idest quædam à jure Naturæ, & à recta Ratione Voluntati observanda, seu facienda, aut omittenda imposita sunt, quædam verò liberè facienda, vel omittenda relicta. Ea quæ in priori Categoria ponuntur immutabilia sunt, qualia sunt Sacra, Magistratus, Connubia, & similia. Quæ verò in posteriori classe collocantur, uti sunt, commercia, Legationes  
Fœdera

Pœdera, Venationes, & similia, mutari possunt, absque ulla offensa juris Naturalis præceptivi.

§. IX.

Possent etiam hinc aliquis objicere I. quòd dicitur de toto, dicitur etiam de parte. *L. que de tota ff. de R. V.* Atqui ex dictis totum jus gentium mutari non potest, uti supra probatum est; Ergò nec pro parte. Consequens clarum est, quia partes omnes constituunt totum, quod sine illis consistere nequit, alias esset, & non esset unum, quod repugnat. *R<sup>deo</sup>.* Axioma verum esse, quoties partes sunt ejusdem rationis, aut essentielles. Secus verò quoties partes sunt, diversæ rationis à toto, vel tantum integrales. Sic v. g. non potest esse totus homo, si desit pars essentialis hominis, nempe animalitas, aut rationalitas secus autem est, si desit v. g. manus, oculus, digitus &c. quia sunt partes diversæ rationis, & tantum integrales. Sic in jure gentium, quædam sunt essentialia, quæ scilicet à recta Ratione imperata, seu prohibita; Quædam verò integralia, quæ scilicet à Libera Voluntate, ac Libertate Naturali dependent, ac proinde, quæ possunt poni, vel omitti, & hæc, non illa, mutari possunt.

§. X.

Objic. II. Vel ea, quæ pendent à libera Voluntate respiciunt unicum populum, vel plures, Si unicum, non

non est jus gentium, sed Civile. Si plures, ergo non poterunt mutari, hujusmodi enim mutatio cederet in præjudiciū alterius, quod esset contra præcipuum juris naturæ præceptum: *Jus suum cuique illibatum esto.* Ergo nullo modo nec in totum, nec pro parte jus gentium mutari potest. <sup>Reo.</sup> Tametsi ea, quæ pendent à libera Voluntate respiciant plures populos, nihilominus adhuc mutari possunt de consensu expresso, vel tacito illorum populorum, de quorum interesse agi videretur, quilibet enim favori pro se introducto renunciare potest; Nec enim aliquod jus formatum, seu quæsitum alter populus prætereundum potest in his, quæ à libera voluntate alterius populi pendent. Sicuti enim possum, connivente Vicino meo, per ejus fundum certo tempore transire, si tamen ille denique mihi prohibeat, non possum ipsum cogere ad mihi hunc transitum concedendum, nisi mihi per constitutionem servitutis jus perfectum acquisitum fuerit, de quo DD<sup>s.</sup> *ad tit. vii. Digest. Et Cqd. de servit. Præd. tam Urb. quàm Rustic.* Ita etiam in materia præsentis quæstionis judicandum. Hinc de factò videmus, aliquos populos cum aliis populis commercia non paucos annos exercuisse, postea verò ab omni commercio cessatum est, nec propterea jus gentium offendisse dicendum, cum hæc à libera Voluntate Agentium pendere, certissimum sit.

D

De

☆ ( 26 ) ☆

## De Jure Gentium, circa ea, quæ respiciunt Populum ad-intra.

### Pars II.

**H**is præmissis, quò ad essentiam, necessitatem, ac mutabilitatem Juris Gentium, transitus faciendus est ad ea, circa quæ Jus hoc versatur, & per quæ distinguitur à jure Naturæ propriè dicto, & à jure Civili. Hæc porrò in duplici sunt differentia, quædam enim respiciunt Populum ad-intra, idest ea, quæ perzquè apud omnes populos custodiuntur, qualescunq; demum illi sint: Quædam respiciunt populum ad-extra, quatenus scilicet communicationem habet cum alio, vel aliis populis. De primis breviter agemus in præsentî, de secundis verò in sequenti.

## De Jure Sacrorum.

### Titulus Primus.

**P**rimum quod obtinet in quocunq; Populo, est procul dubio Jus Sacrorum; Nam cùm jus Naturæ, idest recta Ratio dicet, non tantùm Divinitatem aliquam dari, hancquæ perfectissimum Ens esse; Sed etiam ab Ea quæcunq; Creatâ fuisse, eaque dirigi, & conservari, & quidem itâ dirigi, ut justissimè dirigat, suâque Omnipotentîâ quidquid Illi resistere audeat, puniat, seque Co-  
lentes

lentes, ac amantes præmiis tum in præsentî, cum in futura vita inefficientibus donet, Eadem ipsa recta Ratio inculcat, jubetque, Hanc Divinitatem omni honore, cultuque colendam, tanquam summam, atque ultimum Bonum, ideòque cuicumque Populo jus est, Sacra instituere, ac Divinitatem prout justum, bonum, æquumque sibi visum fuerit, colere, ac venerari.

§. I.

Sed hic statim quaeritur, utrum unî Populo liceat populum in Religione errantem veram Religionem docere? <sup>R. deo.</sup> In hac quaestione præscindendò à rationibus Evangelicis, ac theologicis, nè mittamus falcem in messem alienam, sed rationibus naturalibus insistendo, affirmativè. Ratio I. est, quia Bonum omne naturaliter est communicativum, & communicandum, quia bonum, quò magis est generale, eò magis est bonum, & si ad unum tantum restringatur id vel ab Avaritia, vel ab Invidia provenit, quæ mœretur de bono alterius. Atqui vera Religio est procul dubio grande aliquod bonum; Ergò est communicanda his, qui eâ indigent. Minor est infallibilis; nam illud est grande bonum à quo magna commoda proveniunt; Atqui nemo unquam negabit, grandia, imò summa Commoda à Vera Religione provenire, cum de beata Vita per illam acquirenda agatur; Igitur erit populo erranti communicanda.

## §. II.

Ratio secunda deducitur ex illo celeberrimo juris Naturæ Axiomate: *Quod tibi vis fieri, fac aliis*: Quò nihil æquius, nihil sanctius, cum alii sint similes tibi; Atqui nullus tam fatuus erit, qui errans nolit à prudentioribus instrui; quin imò nemo præsumitur immemor salutis æternæ; ergò illi media summa illa bona acquirendi, communicata religione, impertienda sunt, ut, errore detecto, perditionem, quam alias incurreret, evitare possit. Quis videns Cæcum in apertum terræ hiatus euntem, in quem sine dubio casurus sit, aded barbaro sit animo, ut non exclamet infelicem ab imminenti, certissimoque periculo avocaturus? Quis, nisi feritate impia tentus, transeuntem videat, & ramum ex arbore, seu lapidem, aut quid simile ex alto projiciat, quin exclamet: *Cave viator?* Cognatio illa Naturalis, ab Identitate speciei proveniens, cogit ad juvandum, ad benefaciendum, à malo avertendum eum, qui errans in gravissima damna, incommoda, & mala incurrit.

## §. III.

Tertia Ratio in obligatione consistit, quâ quis tenetur ergà Divinitatem ipsam; Si quidem enim Deus infinito amore, ac honore dignissimus est, quilibet, qui ejus merita infinita meliùs noverit, tenetur ipsi omnem meliorem cultum, omnem Venerationem, imò & amorem  
pro

pro viribus conciliare. Nullò porrò meliori modo conciliatur amor, & Cultus ergà Deum, quàm per veram Religionem, per quam prout humanitati licet, cognoscitur, ac per Cognitionem amatur Deus. Igitur quilibet tenetur, quantum ex se, & in se est, efficere, ut Verus Deus ametur, ac vera Religio errantibus communicetur. Hæc obligatio adeò naturalis est ut in omnibus animalibus, tum rationalibus, cùm ratione carentibus pateat, quidquid amant, velle quoque, ut ab aliis etiam ametur. Igitur non minus aget homo ergà Deum, quàm ergà uxorem, liberos, aliosque, qui sibi chari sunt.

§. IV.

Quarta Ratio est, quòd quilibet Prudens pacem potius, & amicitiam quàm bellum, rixas, ac inimicitias, cum proximo, ac Vicinis naturaliter amet. Nam omne simile appetit sibi simile, & nemo tam stupidus est, qui discordiarum molestias concordia svavitati præferat; quin imò nullum fuit unquam bellum prudenter susceptum, quod ad pacem, & quietem comparandam non susciperetur, pax enim est belli finis; Atqui nulla major est Vis ad pacem fovendam, quàm Vera Religio, quæ ad amissim cum dictatis rectæ Rationis in omnibus convenit; Nam cum Religio respiciat Deum, nihil magis Deo conformius, quàm recta Ratio, quæ radiò Divinitatis illustrata, non nisi, quod Dao placet, Voluntati jugiter inspirat, utut hæc aliquando affectibus pravis decepta, recalcitret,



ejusque legibus parère recuset. Ut igitur in pace vivant homines, Populus Populum veram docere Religionem ténetur. Plura in hac quæstione superflua sunt.

Objic. tamen I. Cuilibet Populo sufficit illa Religio, quæ Civium Animos in quiete, ac tranquillitate continet; Ergò nova Religio ab alio populo intrudenda non est. Hanc veritatem optimè noverunt Romani, qui leges ad jus dicendum Civibus, per Decemviros in Urbem adduci voluerunt in decem tabulis comprehensas; Quò ad ea verò, quæ statum Reipublicæ publicum & præsertim Sacra, & Religionem concernebant, nihil ab alienigenis acceperunt, sed propria in duabus tabulis comprehenderunt, à decem illis, distinctis. Ipsemet Deus Populo Judaico præcepit, nè extera sacra amplecteretur; Ergò nulli populo nova Religio communicanda. **Reco- ad Antecedens.** Cuilibet populo sufficit illa Religio, quæ Civium Animos in tranquillitate continet, ad humanam salutem, ac felicitatem temporalem, conc., ad æternam subdist. si Vera est; conc. Sin minùs, nego. Porro quilibet ex homanitatatis principio tenetur, bono tam Corporis, puàm Animæ consulere, ex supradictis rationibus. Quò ad exemplum Romanorum, dico, illos tandiù Errasse, donec veram Religionem amplexi essent. Quod verò Deus Israelitis præcepit; optimè factum est, quia nulla vera Religio, quàm quæ à Deo, ipsiusque Filio per Apostolos promulgata est, §. VI. Objic.

Objic. II. Prædicatio veræ Religionis, ac Fidei potius quam plurima damna, & mala causare solet, quam bona; Ergò suscipienda non est. Antecedens potest; qua enim de causa plures innocentes perierunt, quam ob veram Fidem, & Religionem? Quis unquam infinitum Martyrum numerum numeraverit, qui ob veram Fidem inter atrocissimos cruciatus animam exhalârunt? Quid illi sancti Viri, ac mulieres commiserant mali, aut criminosi? Taceam quandoque bella, quandoque seditiones intestinas exortas, quandoque fœdera, & amicitias inter populos fractas, commercia interrupta; Imò & jus Naturæ violatum, ubi parentes in liberos, Liberi in Parentes ad internecionem usque insurrexerunt. Igitur, & consequentia vera, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. R<sup>deò</sup>. dist. Antec. Ex Doctrina veræ Religionis mala provenerunt propter duritiam, impietatem, ac barbariem erudiendorum, trans. propter ipsam prædicationem, nego. Sancti Viri prædicando, profitendo, ac docendo veram Religionem audientibus nullum damnum nullumque malum inferebant; sed ideò, illi morte, atque cruciatibus plusquam barbaris affecti sunt, quia veram Fidem abnegare, fallamque amplecti noluerunt. Igitur objectio nihil concludit, cum non causam pro causa capiat; Nam esto etiam, innocentes periisse, mors illorum innumeras gentes ad æternam vitam reduxit.

§. VII. Sed

§. VII.

Sed inquires, Licetne aliquem populum ad veram Religionem armata manu redigere? Videretur affirmandum, nam Ratio recta dicitur, ad bene agendum quemlibet cogi posse, & in hoc dictamine juris naturæ fundatæ sunt omnes Leges pœnales, ut qui boni esse nolunt Virtutis amore, boni fiant formidine pœna, uti ait Ictus in *L. 1. ff. de Just. & J.* Secundò ideò pueri castigatione ad bene agendum coguntur, quia non intelligunt quid agendum sit; Ergò à pari etiam pervicaces, quia non intelligunt, quam Religionem amplecti debeant, armata manu ad meliorem frugem reducendi. Tertio quia non tantum agitur de bono illorum, sed etiam de bono publico, ac de honore Dei, ac proinde quocumque medio poterunt ad veram Religionem cogi.

§. VIII.

Rdeo. tamen sub distinctione; Nam vel populus est jam ex justa causa subjugatus armis, vel est liber. Si prius, potest cogi, quia Victor omnem legem victis imponere potest. Sic à Carolo Magno Frisiis, & Saxonibus jam devictis, non prius pacem concessit, quam Christianam Fidem amplecterentur; Nec enim ipsis invitis Vera intruditur Religio, sed ut eligant habent, aut Religionem amplecti, aut ad internecionem usque, deleri, & tunc etiam coacta Voluntas est Voluntas, nec enim  
præcise

præcisè ad Religionem amplectendam coguntur, sed ad pacem, hoc mediante, acquirendam, & conservandam. Sic antedictus Imperatur, quia Romanum Imperium infestabant, armis ad pacificè vivendum subegit, & sub conditione amplectendi Fidem ab ulteriori molestia liberavit.

§. IX.

Sin verò Populus ille liber est, non potest, quin in jus Naturæ peccetur, si propter intrudendam Religionem armis impetatur, quia Cives illi in possessione suæ Religionis justè turbari non possunt; per hoc enim nullam dant causam, ipsis offensivum bellum inferendi, cum nemini, nisi sibi met ipsis, neceant. Quod si ergò noceant, qui veram profitentur Religionem, possunt etiam armis illatam Injuriam vindicare. Hujusmodi porro injuriæ justæ erunt causa vindictæ, si in bona, & personas alterius populi fuerint illatæ; Sed & si veræ Religioni, Veroque Deo, ejusque Sacris, & Ministris, dummodo populi jussu ad Religionem prædicandam sub publica fide missi fuerint; tunc enim cum hujusmodi Ablegati populum, seu summam Potestatem repræsentent, injuriæ ipsis illatæ intelliguntur Ablegati factæ, ac proinde vindicari possunt. Quòd si subditus populus à vera Religione deficiat, summæ potestatis est, totis viribus cultum, & sacra ab omni injuria defendere, ac in pristino honore conservare; Sin minus armata manu in pristinum statum restituere.

E

§ X. Quæ-

Quæres ulterius, quid autem si populus infidelis Ablegatos, seu Missionarios ad prædicandum admittere noluerit, poteritne populus Fidelis infidelem hac de causa manu invadere armata? *R<sup>do</sup>. negativè.* Ratio est, quia quilibet in re sua dominus moderator, & arbiter. *L. 21. C. mandar.* postquam enim distincta dominia, potest quilibet à re sua alienigenas arcere. Quòd si verò jam semel admissi sunt ad audiendum, quid intendant, distinguendum putamus, vel remittuntur absque injuria, & læsione, vel injuriâ ipsis illatâ. Si prius, non est jus populo fidei populum infidelem invadendi, cum sibi nullam legitimam causam bellum offensivum inferendi asserere possit. Si posterius ad vindicandas injurias suis Ablegatis illatas bellum inferre poterit. Priori casu, nulla est alia ratio, quàm quòd veram Religionem amplecti nolit populus infidelis, quæ sufficiens non est, cum quilibet favori pro se introducto renunciare possit, uti est veram addiscere, ac amplecti Religionem. Nec reponatur hæc etiam agi de honore Dei; Nam Deus cultum coactum non vult, cum talis cultus non sit ab Amore, sed à metu, qui in his, quæ à libera Voluntate sunt, reddit actum nullum.

## De Connubiis.

### Titulus Secundus.

**S**icuti de jure Naturæ cuilibet conservatio sui competit, ita & Populo, quam nullatenus obtinere potest, nisi multi-

multiplicatis individuis, novi Cives in locum demortuorum surrogentur. Hoc autem non aliter fieri potest, quam per conjunctionem Virorum, ac Mulierum, quam nos matrimonium appellamus. De jure igitur gentium cuilibet populo licet Nuptias, seu matrimonia contrahere, quia cui concessus est finis, etiam media necessaria ad finem consequendum concessa intelliguntur. Nec potest ab alio populo impediri, aut prohiberi.

§.

Verum in hac Materia quaedam sese offerunt quaestiones, quae nobis hic examinandae videntur; Et quidem primò, Utrum populus ex meris viris constans possit licite à vicinis populis uxores quarere? R<sup>de</sup>o. Supponendum in primis est, populis vicinis sufficientes adesse Mulieres, quae tum sibi, tum petenti populo satis sint; Nam si tot solum habeant, quot ipsis necessariae sunt, non potest populus indigens ab illis prætere, quod illis ad propriam conservationem opus est. Lex Naturæ vult, cuilibet jus suum illibatum esse, nec quempiam ditari cum alterius jactura. *L. 14. ff. de condict. indeb. & in pari casu*, melior est conditio possidentis. Sicuti non placeret populo indigenti, si necessariis ad sui conservationem, ab aliis privaretur, ita non debet ipsi displicere, sibi ab aliis æquè indigentibus recusari; quin imò nec de jure quarere, aut petere poterit, cum quod tibi non vis fieri alteri ne feceris.

## §. II.

Supponimus secundò, Populum istum verè populum esse, idest vel Civitatem formaliter, utut non adhuc Mœnibus, ac ædificiis positus; nam ad Civitatem formaliter constituendam, sufficit Populum in unam Corpus collectum, sub certis legibus vivere, etiam si Civitas materialiter ædificata non sit. Quid enim si omnia ædificia ab hostibus combusta, vel terræ motu in apertum hiatum absorbta, vel in mare submersa, habitantes verò in Campis tentoria ponant, nonne habitantes jus Civitatis retinerent, ut aliquoties factum Historiæ memoriæ mandârunt? Mediolano, ut cætera omittam, ab Imperatore destructò; Mediolanensis Populus superfuit, qui Civitatem in pristinum statum restituit. Quod si hominum ingluviés sine Lege vagantium mulieres quærat, à quibus non nisi libidines inhonestæ pertimendæ, ac expectandæ forent, Vitiis, ac flagitiis indulgendum non est.

## §. III.

His igitur suppositis, dico, populo indigenti ad sui conservationem jus esse, mulieres in uxores à Vicinis populis sibi quærendi. Ratio est, quia, uti dictum, jus Naturæ in primis exigit sui conservationem, uti apparet in omnibus Creaturis; aliquam vitæ speciem habentibus, nec enim tantum hominibus, sed & brutis; imò & plantis, quantum in illis est, conservatio sui; imò & speciei,

ab

ab Authore Naturæ indita est. Cùm igitur nullum superfit medium sese conservandi, quàm per conjunctiones virorum, ac mulierum, dubium non est, quin populo, de quo hic, mulieres ab aliis sibi quærere liceat, nec hi conqueri possunt, cùm quod tibi non nocet, & alteri prodest faciliè concedendum.

§ IV.

Verùm quid, si quæsitæ Mulieres ideò denegentur, quia, Lege latâ, firmataque Vicinus populus statuerit, ne qua mulier alicui ex populo extero nubat, debet ne populus indigens huic legi acquiescere? R<sup>deo</sup>. Hac lege non obstante, peterit populus indigens uxores ab alio petere. Ratio est, quia jura Civilia juri Naturali præjudicare non possunt; Imò Lex Civilis, quæ juri naturali præceptivo opposita est, tanquam moraliter turpis, valida esse non potest, cùm sit contraria dictamini rectæ Rationis; Atqui hujusmodi Lex Civilis, saltem in casu suppositæ necessitatis, esset opposita juri naturæ, quod jubet conservationem sui, ac speciei; Imò Socialitati humanæ, quæ inter homines reperitur, & maximè colenda est; Ergò in casu Necessitatis non haberet locum; Ideoque posset populus indigens ea non obstante, mulieres ab alio prætere.

§ V.

Secundò in casu necessitatis omnia redeunt ad statum primævum, in quo communia erant omnia, idest com-



nuncianda; Ergò Lex, aut Consuetudo Civilis non potest tollere primariam legem juris gentium, ad quam facit recurrere præiens necessitas. Antecedens patet in rebus ad victum, ac amictum in extrema necessitate necessariis, quas Licitum est indigenti furto surripere vel ad conservandam vitam, vel ad honestatem custodiendam. Ubi ergò fuerit necessitas pro conservando populo, eadem militat ratio, quæ militat in casu conservandi unius individui; Imò adhuc major, agitur enim de conservatione totius Conimunitatis, & argumentum à minori ad majus recte Rationi consentaneum est.

## §. VI.

Tertiò, Res inter alios acta tertio non præjudicat, ad hoc enim ut illi tertio præjudicet, debet aliquod factum intervenire ex parte illius, quo ille hoc præjudicium sibi expresse, vel tacitè, vel saltem præsumptivè attrahat, uti fit ex delictis, vel quasi ex delictis, ex contractibus, vel quasi ex contractibus. Nec sufficit, Legem esse latam; quia Lex est manifestativa justitiæ, quæ factò alicui obligatorio inest. Hinc certum est, quòd Lex non obliget, nisi fit justa, alias foveret peccatum, & moralem turpitudinem; Atqui certum est, in nostro casu, Populum indigentem nullo delicto, nullo contractu, vel quasi, unò verbò nullo factò concurrisse ad legem, quæ ipsi auferret jus, quod à Lege, aut facultate Naturali habet, quærendi media necessaria, quibus sese conservare posset, nemò enim

enim jus suum à se abdicare præsumitur, nisi expresse abdicet; Ergò da. Lege Civili non obstante, Populus indigens poterit uxores prætere.

§. VII.

Non obstat I, Parentes invito non teneri, filias suas in matrimonium his, quibus eas dare nolunt, collocare, cum naturali jure liberi sub potestate parentum sint, ac in eo statu de illis tanquam de re propria liberè disponere valeant; Nam hoc verum quidem est regulariter, & in his circumstantiis; Secus autem est in casu, ubi agitur de conservatione integri populi, tunc enim receditur à regulis juris ordinarii, ibique necessitas facit licitum, quòd alias illicitum est. Non obstat II, quòd etiam sine mulieribus, populus conservari possit, non tantum usque ad mortem eorum, qui de facto populum constituunt, sed etiam post illorum mortem, cum possint juvenes aliunde accersere, qui defunctorum vices suppleant, ac in illorum officia, honores, ac bona succedant; Nam in primis, quòd ad primum membrum objectionis, non conservaretur populus; sed tantum individua populi, quibus denique sublatis, totus populus interiret, cum sublatis partibus, tollatur & totum, quod ex partibus constat. Quòd ad secundum membrum incertum est, an alienigeni sese ad hunc populum transferre vellent, cum quilibet propriam potius patriam, quàm alienam naturaliter conservare desideret. Deinde, quid esset, si alii populi

puli suos Cives à propriis Laribus discedere prohiberent?  
Igitur objectio nihil concludit.

§. VIII.

Sed iterum quæres, si populus requisitus mulieres in matrimonium tradere recuset, quid huic tali casu face-  
re liceat? Rdo. Si precibus impetrare non possit, ad ar-  
tes, & artificia recurrere licet. Sic itaque Mulieres subdo-  
lè in suas partes officii, ac muneribus allicere, quibus de-  
victis Parentes denique illarum connubiis consentire de-  
beant. Quod si talis modus non proficiat, poterit po-  
pulus indigens, data occasione, rapere, uti Romani, Lu-  
dis Equestribus institutis, Sabinas mulieres rapuerunt. Ra-  
tio est, quia in summa necessitate ea, quæ ad necessariam  
sui conservationem faciunt, non tantum furtim, aut clam,  
sed & aperta vi sibi comparare licet. Habet enim indi-  
gens jus ad id, quod alteri superfluum est: ipsi à dene-  
gante fit injuria, justa enim petentibus nihil denegandum.  
Hinc bellum Romanorum contra Sabinos non minus fe-  
lix, quam justum fuisse exitus ostendit, cum non nisi mu-  
lierum interventu, in Raptorum numerum Sabini venire  
coacti fuerint, & in unum populum coalescere.

§. IX.

Quæres, An tali casu, diversitas Religionis justa fit  
causa filias, & mulieres huic novo populo denegandi?

Respon-

**R**ede breviter, distinguendum, vel Religiones in fundamentalibus, ac essentialibus differunt, vel non. Priori casu justa est causa denegandi communionem Connubiorum. Sic si Ethnicus, Mahometanus, aut Judaicus populus quaerat uxores Christianas, justè mulieres denegabuntur; Infidelium enim Consortium, & praesertim utriusque fortunæ, uti est in matrimonio, fugiendum; Namque assidua communicatio cum infidelibus periculosa est, nè muliebrem infirmitatem in perniciem trahat. Posteriori verò casu, non erit Legitima causa Connubia denegandi, quia non disconveniunt totaliter in fundamentalibus, sed de his quæ sunt de apicibus juris, & magis in modo colendi, quàm in ipso cultu disconveniunt. Dummodo tamen sanctè promittatur ab altera parte, Uxori in sua religione nullam molestiam futuram, quod si non servetur, poterit pars offensa de fracta fide conqueri, & legitimis modis injuriam vindicare.

§ X.

Exterùm in materia Connubiorum, cuique populo jus est eos ritus, ceremonias, ac leges servare, quas predecessores sui stabilire, conveniens, & opportunum censuerunt. Hinc si in illo non nisi cum consensu parentum matrimonium contractum legitimum fit; In hoc verò legitimum fit, etiam insciis, imò & invitis parentibus, non poterit ille huic vim inferre ad hoc requisitum necessario amplectendum. Si in illo moris, aut legis fit,

F

ut

ut quis unica, & Virgine contentus sit maritus, nec illa mortua ad secundas nuptias transire liceat, hic verò bigamiam, trigamiam, & ulterius admittat, non habet ille jus hujus institutum, aut consuetudinem improbandi, aut impugnandi. Sic si unus Poligamiam velit, alter monogamiam sequatur, utut illam non probet, non potest tamen hoc prætextu quidquam contra illum suscipere, jus enim gentium vult, ut quisque populus eo jure utatur, quod sibi bonum esse putat, & par in parem non habet imperium.

## De Magistratibus.

### Titulus Tertius.

Jam diutinâ experienciâ compertum est, multitudinem fontem & originem discordiarum, & confusionis esse, Nam cum naturaliter Homines ad dissentendum proclives sint, Varietas enim complexionis, indolis, morumque diversitas in causa est, ut quod uni placet, alteri displiceat, planè fieri nequit, integrum populum ita in unum collimare, ut discordiis inter Cives aditus nullus aperiat. Eoque magis, quod res Civium inter ipsos Cives æstimandæ, communicandæ, ac permutandæ; in pretio verò determinando sæpissimè disconvenient. Quapropter necessariò debuerunt Magistratus introduci, qui jus dicerent Civibus inter se litigantibus, nè scilicet ad rixas, & arma procederent, sicque vires, quæ ad totum populum

lum conservandum, ac augendum destinata fuerant, in ejus perniciem converterentur, uti olim apud Romanos factum, de quo Lucanus ait. Phars. princ:

- populumque potentem  
*In sua vitrici conversum viscera dextra.*

¶ Quilibet igitur Populus jus habet tot, talesque Magistratus constituendi, quot sibi congruum, bonumque visum fuerit. Sub nomine porro Magistratus intelligimus hic non tantum inferiores, sed & superiores, id est non tantum eos, quibus certa, ac limitata jurisdictio à toto populo commissa est, ad dies vitæ, vel ad certum tempus, quò ad unam, vel plures materias, aut provinciarum partes, uti erant olim apud Romanos, Prætores, Præfides Provinciarum, & hodiè Proreges, Gubernatores, Capitanei, & similes quocunque nomine nuncupentur; Sed & illi, quibus summa Potestas translata, uti olim Dictatores, Principes, & hodiè Reges, ac Imperatores, vel etiam quibus sub certo nomine summa potestas translata, ut fit in Aristocrazia, ubi Optimates Rempublicam gubernant, vel in Democratia, ubi totus populus summam habet potestatem; aut in forma Reipublicæ mixta, & sic de similibus. Liberum igitur est unicuique populo quam formam Reipublicæ, seu Regiminis eligere, quoscunque Magistratus instituire, & illis totam, vel partem imperii, jurisdictionis, ac potestatis, prout sibi magis convenire putaverit, committere.

§. II.

Ratio est, quia quilibet debet perpendere, quid sibi magis expediat, ut inquit Imperator in §. 6. *Inst. de Mand.* & quilibet media eligere, quibus ad propositum finem perveniat. Cùm igitur bonum publicum idest publicam felicitatem, & quietem quærere, & consequi liceat populo, licet etiam media necessaria ad illam consequendam applicare. Prætereà sicuti privatus familiam tuam, prout sibi consultum putat, regere, & gubernare potest, uni ex Domesticis vices suas in omnibus, vel pluribus distinctis officiis, ac negotiis, committere, sic etiam integræ Communitati, quæ amplissimæ familiæ instar est, licet quomodocunque voluerit uni, vel pluribus, vel in totum, vel pro parte potestatem judicandi, jubendi, puniendi &c. committere.

§. III.

Imò adeò ampla; & illimitata est hujusmodi potestas, ut formam Reipublicæ ad libitum sibi mutare liceat. Exemplum habemus celeberrimum ex Romanis, qui primùm per Reges, mox, ejectis Regibus, per Consules, & Senatum, subinde per Dictatores, denique per Imperatores dirigi, & gubernari voluerunt. Quid? ipsemet Populus Judaicus modo per Seniores, modo per Judices, modo per Reges gubernari voluit, uti luculenter sacræ paginæ testantur. Poloni primùm per Duces, aut Reges, aliquando per Palatinos, deinde Regem una cum Senatu, &

& in quibusdam casibus una cum tota Natione, quæ illis Reipublicæ nomine venit, habere voluerunt.

§. IV.

Sed hæc oritur quæstio, utrùm Populus videns Vicinum populum formam Reipublicæ mutare meditandem possit illum impedire, si prævideat, ex hac mutatione posse sibi aliquam molestiam, vel periculum imminere? Ponamus v. g. casum: Reipublica Venatæ vult statum suum, idest formam Aristocraticam in Monarchicam mutare, quia forsitan factiones, vel motus quidam inter Cives appareant, ex quibus illa planè excidium timeret, ideoque prudentissimum, ac potentissimum ex suis Magnatibus Regis titulo insignire, ei que summam potestatem conferre vellet, possent ne Vicini Principes huic mutationi de jure contradicere, & conjunctis viribus, Rempublicam, ut à meditata Regiminis formæ mutatione desisteret, cogere?

§. V.

Ratio dubitandi est, quia generaliter omnis mutatio periculosa præsertim in materia publica, ubi ut plurimum innumera sequuntur damna, non tantum ipsi statui publico, sed & ipsis Vicinis, incendium enim semper latius serpit, & ut plurimum vicini vel trahuntur, vel illaqueantur. Sic experientiâ patet, cum Belgæ fœderati formam Regiminis publici mutare decrevissent, ferme



omnes vicini populi diutino bello illaqueati sunt, quod in-  
 numeri homines perierunt, & pulcherrimæ provinciz de-  
 vastata sunt. Quis igitur intentum vicinorum Principum  
 improbaverit, si mala imminetia voluerint præcavere,  
 impedire? *Præoccupandum est scelus*, ait Tragicus,  
 & Terentius cecinit. - - *Tu quod cavere possis  
 Stultum est admittere &c.*

§. VI.

Secundò expediti juris est, cuilibet licere in peri-  
 culo incendii ædes intermedias, ut, his sublati, & deffi-  
 ciente materia, ignis ulterius non serpat, destruere, cum  
 ad necessariam defensionem, suarumque rerum conserva-  
 tionem liceat res alias perituras, sacrificare, ex duobus  
 enim malis minimum eligendum, si utrumque evitari non  
 potest, & quod tibi non prodest, alteri verò nocet, de  
 jure permitti debeat; Atqui, si ex mutatione formæ Re-  
 giminis damnum aliquod insigne imminet, quod certè  
 imminere potest, cum ab unius tantum Voluntate, ac  
 absoluta potestate, vel econtra, res pendeant; Igitur po-  
 terunt vicini principes huic malo jure merito obviam ire,  
 Quod autem malum quandoque fit potius cum Rege,  
 quam cum Republica tractare, facillè patet ex historiis,  
 ubi Reges propter minimam quandoque, quandoque sine  
 ulla causa in Vicinos bellum gessere. Magnus Alexan-  
 der ob solam vanæ gloriæ Cupiditatem bella quam pluri-  
 ma

ma gessit. - Nostris temporibus Allobrogum Rex arma in Augustissimum movit, e contra verò antedicta Respublica Veneta nunquam bellis inter Christianos Principes se immiscet, sed semper Religiosam Neutralitatem observat.

§. VII.

Tertiò, quilibet uti potest jure sibi competenti, absque eo quod alter conqueri possit de facta per hoc sibi injuria. Ex hoc principio descendunt omnes Actiones, quæ in alios competunt, & conceduntur, & quidem adeò ut etiam si alter aliquod damnum per indirectum sentiat, non tamen conqueri possit; quærenti enim propriam Utilitatem nullatenus objici potest, quòd alter damnum negativum patiat; Atqui Vicinis populis jus est sibi prospiciendi, nè scilicet ex mutata Regiminis forma alterius populi, damnum aliquod sibi obveniat, præstat enim intacta jura servare, quam post vulneratam causam remedium quærere, ait ICTUS & jure merito, quia per sæpe ex post facto remedia inutilia sunt, juxta vulgatum illud: *Post factum non est Consilium.* Igitur vicini Principes poterunt populo mutationem Regiminis meditati, seu suscipienti obstare, si periculum ex hac mutatione sibi imminere prudenter prævideant.

§. VIII.

His tamen, vel similibus non obstantibus, in hac quaestione oppositum verum potamus, quod scilicet vicini  
nis

nis populis jus non sit populum vicinum impedire, quò minus ad libitum Regiminis publici formam mutare valeat, & quin imò, si de facto impediatur, jus Gentium lædatur. Ratio est, quia cuilibet liberum est, uti sapius dictum, applicare media, quæ sibi videntur utilia, & necessaria ad finem propositum consequendum; Atqui sibi constituti supremi Magistratus, seu formæ Regiminis publici, est procul dubio tranquillitas, bonum, & Conservatio populi, quò omnes Regiminis formæ collimant; Ergò potest Populus, de quo hic, quamcumque Regiminis formam amplecti, prout sibi bonum, ac salutare putaverit, & si viderit formam semel volitam non amplius sibi proficuum esse, poterit ad aliam recurrere, quia unam eligendo alteri non intelligitur renunciasse, nec enim renunciationes tacite factæ præsumuntur, nisi ex actis incompatilibus, & prægnantibus rationibus, quæ in nostro casu non militant.

§. IX.

Secundò, nemo potest imponere Legem, nisi subdito, vel ei, qui ejus potestati subjectus est, cum par in parem non habeat imperium. Mandari quidem, id est committi, seu rogari aliquid ab aliquo æquali potest, tanquam ab amico, qui tamen mandatum ad libitum suscipere, vel non suscipere potest; At non cum necessitate, vel obligatione suscipiendi; Atqui populus, de quo hic, est, uti supponitur liber, alias esset quæstio Domitiani, cum

cum certissimi juris sit, à superiore posse inferiori quamcunque Legem imponi, ita ut hic etiam formam Reipublicæ; imò & Magistratus, eorumque numerum ab illo recipere teneatur; Igitur, si liber est, potest liberè agere, cum Libertas sit facultas faciendi, quod lubet, sive, ut ait Cicero, vivendi prout sibi placuerit, ac proinde poterit eam formam Regiminis amplecti, sequi, ac mutare, prout sibi placuerit, ac expedire putaverit.

§. X.

Tertio, nihil Dictamini recte Rationis adeò conforme est, quàm ut quis de rebus suis ad libitum disponat, alias dominus illarum perfectus non esset, si ab alterius Voluntate penderet, & hæc Ratio adeò fortis est, ut non tantum in vivis quis possit de rebus suis ad libitum disponere, sed etiam hæc libertas, ac facultas ad actus in ultima Voluntate extendatur, prout fit in testamento, quod ab alterius voluntate pendere non debet. Quod etiam patet in modo sese ab injuriis defendendi, tum temporum, hinc alii in subterraneis specubus, alii sub tentoriis, in ædificiis latitando quietem quærere; tum contra hostes manibus, foveis, aggeribus, vel armis, modo unius, modo alterius speciei, formæ, ac materiæ sese conservare voluerunt; Atqui gubernatio, seu Regimen Populi est sine dubio ipsius populi, quilibet enim est dominus, & pollet facultate suas actiones dirigendi; Igitur etiam in forma Regiminis, aut Magistratuum hæc libertas debet à libera Voluntate Populi, cujus interest; dependere.

G

§. XI Non

Non obstant Rationes pro opposita sententia allatz, nam quò ad I. omnis mutatio leviter, ac imprudenter suscepta est periculosa suscipienti conc. aliis quorum nihil interest, ut in nostro casu, nego; Nec reponatur, ejus interesse, cui potest aliquod præjudicium inferri; Nam distingo inter præjudicium positivum, certum, ac præsens, & præjudicium negativum, incertum, ac futurum, seu per se, & per accidens. Prius potest in considerationem trahi, ac pro viribus præcaveri; posterius verò in considerationem non venit, quia in omnibus attenditur, quod principaliter intenditur, non verò quod per accidens fit. Quò ad II. nego paritatem, nam in casu incendii periculum est præsens, certum, & positivum, non autem in nostro casu. Quod adeò verum est, ut si periculum non sit præsens, ac certum, non poterunt ædes destrui, utut demoliens valde timeat, quia non sufficit timor in concreto, sed debet considerari in abstracto, ita ut prudentes, & constantis animi viri judicent, justane sit causa timendi, alias destruens damnum illatum reparare tenebitur. Quò ad III. quemlibet uti posse jure sibi competenti quando revera jus habet, uti est v. g. rebus suis prospicere, ac media quærere, nè ipsi fiat injuria, vel damnum inferatur, non autem quando jus habet tantum imaginarium, uti est, si populus vicinus timeat à mutatione formæ Regiminis ab alio populo suscepta sibi posse aliquando præjudicium aliquod inferri. Quòd si postea ex hac mutatione sibi aliquod positivum damnum inferatur,

tur, tunc jus est læso media necessaria ad hoc dampnum avertendum, vel reparandum impendere.

## De Incruenta Defensione.

### Titulus Quartus.

Cùm nemo detur, qui periculis expositus non sit, & quidem talibus, quæ quandoque vix prævideri possunt, Prudentiæ exigit, ut quantum humanitùs fieri potest, prævideantur pericula, eisque prospiciatur. Nullus est etiam populus, utut validis polleat viribus, ridentique in omnibus gaudeat fortuna, qui maximis calamitatibus, casibus, ac infortuniis expositus non sit, ac proinde prudenter agit ille, qui non tantum prævidet, sed & providet ita rebus suis, ut omnibus casibus resistere, si evitari non possint, paratus sit, quod hinc nobis sub Nomine incruentæ defensionis comprehenditur,

§. L

Ad Incruentam igitur defensionem pertinet primò, talem exercitum semper paratum habere, qui hostium irruptionibus resistere possit. Exercitus autem à Duce prudenti, experto, martiali, ac fideli dirigendus; quapropter populus talem virum ut acquirat satagere poterit; Non tantum ex suis militibus, sed etiam ex alio populo ad se trahere. Attrahet porro muneribus, & honoribus propositis, nihil

G 2

enim

enim magis humanos animos allicit, quam bonorum;  
diviarumque spes, unde Poeta

- - - *Quo non mortalia pectora cogis  
auri sacra fames?*

& Virtutis Magnes est Honos, cum nullum sit Virtutis dignius præmium, quam Honos, qui Virtutis umbra nuncupari consuevit. Sic ex Historiis patet, Monarchas sæpe ex alienigenis belli Duces sibi quævisse. A Germanis Italos, & Gallos, ab Italis Germanos, & Svecos, ab Hispanis Hibernos, ab aliis ex aliis Nationibus belli Duces assumptos.

§. II.

Sed hic oritur quæstio, an liceat Populo belli Ducem alteri populo actualiter inservientem, propositis muneribus, & honoribus, ad se allicere? In hac quæstione plures casus distinguendi sunt; Vel enim Dux ille est obstrictus aliquo speciali vinculo populo, cui inservit v. g. si Vasallus ejus est, aut ex eo populo oriundus, aut qui illi specialem fidem juraverit, &c. Vel non. Priori casu, subdistingendum, vel enim populus suus indiget ejus operâ, vel non. Si indiget, certè alius populus non potest ipsum blanditiis, ac muneribus allicere, hoc enim esset illi corrumperè, quod sine offensa juris Naturæ committi non potest, quod enim tibi non vis fieri; alteri nec feceris. Sin populus suus non indiget, ac, saltem tacitè, permittit, ipsum non meliori prosequens conditione,

one, tunc potest alteri populo suas operas dicare, ad meliorem conditionem suam faciendam.

§. III.

Posteriori verò casu principali, quando Vir ille militaris nullo speciali vinculo populo, cui de facto servit, obstrictus est, uti si v. g. exterus sit, qui soleat operas suas militares pro certo stipendio, seu honorario impendere, tunc alius Populus absque offensâ juris Naturæ meliori conditione oblata, ad suum servitium allicere potest. Ratio est, quia, Juti supra dictum, cuilibet licet sibi consulere, ac meliorem conditionem suam facere, dummodo non inferat alteri damnum positivum, & damnum tantum negativum non attenditur. Sic olim Religiosissimus Rudolphus Augspurgicus, relicto Regis Bohemiæ Ottocari servitio pro Tigurinâ contra Basileenses exercitum duxit. Sic nostris temporibus Serenissimus Sabaudiz Princeps Eugenius, relicto Gallorum exercitu, ad Cæsarem se contulit, pro quo præsertim contra Turcas celeberrimas Victorias reportavit. &c.

§. IV.

Ad incrementam defensionem pertinet II. ubicunque opportunum, ac proficuum visum fuerit Fortalitia construere. Nam recta Ratio dicit, consulendum esse in tempore, ut, cum occasio venerit, non repetatur populus



lus ad necessariam defensionem imparatus. Sed poterit  
 ne Vicinus populus, cujus forsan interest, vicinum non  
 esse munitum, ipsi novum opus nunciare? R<sup>deo</sup>. prohi-  
 beri, aut impediri de jure non posse. Nam quilibet in  
 suo ædificare potest, usque ad Cœlum. *L. 8. C. de ser.*  
*Urb. præd.* & Nemini incruenta defensio deneganda. Li-  
 mitatur tamen hoc, nisi pacto conventum fuerit, nè For-  
 talitium poni liceret; tunc enim prohiberi posset; cum  
 pacta præsertim publica servanda sint. Quod iterum subli-  
 mitandum, nisi qui pactus esset, paciscendi potestatem  
 non haberet, uti si fundamentali Lege omnia pacta, omnes  
 conventiones, & actus in præjudicium populi gesti nul-  
 lius forent momenti, quamvis enim qui clavum Reipu-  
 blicæ regeret, talia pacta inivisset, nullius esset vigoris,  
 nisi totus Populus in hunc actum specificum consensisset.

§. V.

Idem juris esset, si populus, formidabilem Classim  
 adveniret, alter verò suspicaretur, vim sibi forsan illatum  
 iri, non peterit tamen suspicans prætere, alterum ab  
 incæptis desistere, nam par in parem non habet imperium.  
 Potest quidem suspicans æquè sortem classim parare, ut  
 casu, quo alter in se quidquam tentaret, ab omni invasi-  
 onis sese defendere possit; At alium impedire nequit, quia  
 jure suo utens alteri non facit injuriam. Non obstat,  
 quod quilibet possit novum opus nunciare, cujus interest.  
 Nam hocce casu non ejus propriè interest, sed tantum ali-  
 quando

quando interesse possit, quapropter etiam ipsi licet, ex parte quoque sua incruentam defensionem observare.

§. VI.

Ampliatur conclusio, ut Potestas publica, quæcunque sit, Potestati suspicanti, & ab ea ciscitanti, quem in finem, aut contra quem Classis, aut Exercitus paretur? positivè respondere non teneatur; Nam Res domesticæ non pandendæ, nè molestiis exponantur; & in actibus publicam Rem concernentibus, Secretum est negotiorum Anima, quò sublato, grandes perisæpe susceptus miserè evanuerunt. Non obstat, quod interrogantibus respondendum esse ipsa Natura jubeat; quæ ideò loquendi facultatem hominibus dedit, ut sibi ad invicem mentis conceptus communicarent; Nam hoc verum est, si voluerint, secùs autem est, si noluerint, ideò dedit etiam ipsis facultatem tacendi, ut, quæ communicare nollent, in abdito cordis ad libitum occultarent. Nec alter populus injuriam per hoc silentium sibi factam asserere poterit, quia tacens utitur jure suo, nec ad respondendum, cum liber sit, obligatur, sicuti obligaretur, si ciscitanti subjectus esset.

§. VII.

Quæres, An populus cum populo bellum gerens possit de jure tertium cogere ad sese pro una, vel altera parte declarandum? R<sup>deo</sup>. Negativè. Ratio, quia nemo tenetur

tenetur sese negotiis alienis immiscere. *Quod me non tangit, non angit*: & qui unius ex belligerantibus partes sequitur, fortunæ illius, quæcunque etiam illa sit, sese participem facit. Tirii sub Rege suo Hatone Darii Regis Persarum partes sequuti, hoc devicto, Alexandri fortunæ libârunt, & Magnus Herodes Judæorum Rex, qui M. Antonii à partibus fuerat, in evidentissimo fuit periculo omnia perdendi, cùm Augustus non tantum victoriam totalem reportasset, sed & acriter satis in eos, qui adversas partes sequuti fuerant, vindictam exerceret, nisi Herodis Magnitudo Animi prudentissima, & humili, sed non abjecta oratione Victoris Animum devicisset. Transilvaniæ Principes, quàm noxium sit alterutrius Belligerantium partes sequi, magno illorum detrimento experti sunt. Prudentissimè Respublica Veneta, inter populos Christianos sese armis collidentes, neutralitatem exactissimam servat, sicque ad mille ac trecentos annos libertate fruuntur illibata.

§. VIII.

Sed inquires, quid si una ex partibus belligerantibus urgeat, ac nisi ejus causam Neutralis populus suscipiat, ipsum hostiliter impetat? R<sup>deo</sup>. tunc Neutralis populus modis omnibus se defendere poterit; Nam cuilibet sua jura, prout melius, defendere licet, quæ defensio, cùm juris naturalis sit, nullo jure tolli potest. Hinc si non  
satis

fatis virium ad repellendam injuriam possideat, ab alijs populis auxilium petat; imò ab adversa parte, quæ facile accurret, nè hostis neutralem populum subjugans potentior fiat, quàm ut deinde superari possit. Non obstat quod populus invadens jus habuisse videatur, cum qui mecum non est, contra me sit; Nam hoc tunc tantum verum est, quando in electione non est medium; Secus autem est quando in electione, Neutralitatis medium datur, quò electò nulli ex belligerantibus jus est, liberum populum ad electionem alterutrius partis adigendi.

§. IX.

In hac materia, quæres adhuc, An eo casu, quò populus neutralitatem elegit, teneatur belligerantibus annonam necessariam subministrare? R<sup>deò</sup>. distinguendum est, vel habet sufficientem pro se, & pro alijs, & tunc tenetur, quia idè colliguntur terræ fructus, ut in hominum necessarium victum cedant. Sin verò sufficientem non, nisi pro se habeat, tunc certè subministrare non tenetur, quia prima Charitas incipit à se. Subintelligitur tamen, ut non gratis, sed pro debita compensatione subministretur, alias esset cum damno populi Neutralis, cui nullum detrimentum inferendum, quin juri naturæ injuria fiat. Nec propterea dici poterit, populum Neutralem violasse Neutralitatem, quòd & alteri parti annonam subministret, nam neutralitatem servare nihil est aliud, quàm neo plus, nec minus pro una parte facere, quàm pro alia, vel ami-

H

ci

ci munere fungi ergà utramque, vel potius nullam hostilitatem in alteram exercere, quod optimè servatur, utut subministretur utrique annona, quò casu nec tanquam amici, nec tanquam hostes, sed tantum tanquam homines considerantur.

§. X.

Quid porrò, si paratà pecunià pars altera destituatur, licebitne illi annonam denegare? R<sup>deo.</sup> videretur posse denegari, quia nemo tenetur alteri auxilium ferre proprio cum detrimento; Verum humanius est, denegari non posse, cum hoc tamen temperamento, ut aliquo modo satis fiat annonam præbenti, commutatis v. g. mercibus, si quæ præstò sunt, vel data sufficienti cautione, de solvendis intrà certum tempus contractis debitis, cum enim casus adsit necessitatis, ut supponitur, ad conservandam militum vitam, nè scilicet fame pereant, fieri posset, ut milites in desperationem prolapsi, vi, quæ amicabiliter acquirere non possent, acciperent, & hoc pacto neutralitas inutilis redderetur. Ex duobus porrò malis semper minimum eligendum.

## De Ærario publico.

### Titulus Quintus.

**A**d parandam incruentam defensionem; imò ad necessariam populi conservationem, sumptibus opus est, præ-

præsertim tùm ad milites alendos, & constituta stipendia regulariter eroganda, cùm etiam ad salaria Magistratibus civilibus præstanda &c. Quapropter quilibet populus in statu Democratico, sive Aristocratico, sine Monarchico, aut mixto positus sit, Ærariò publicò indiget, quò sumptus necessarios præstare possit, & hoc adèd verum est, ut absque tali fundo, quæcunque sit Respublica diu durare nullo modo queat, nisi de raptu vivant, & latronum instar per fas, & nefas quidquid violentia valet, acquirant.

§. I.

Ærarium duplex constituti potest, Patrimoniale, ac Adventitium. Alterum est, quod ex ipsius populi patrimonio provenit, veluti ex fundis publicis, ex agris vectigalibus, ex piscationibus, ex Metallorum fodinis, ex portoriis, gabellis, ac privatorum contributionibus ordinariis, quas ratione possessionum, mercium, in quibus negotiantur; imò & personarum in publicum erogare debent. Adventitium est, quod non ex similibus regalibus, uti vocant, sed ab extrinseco provenit, uti est hostilis præda, provinciæ armis subactæ, donationes voluntariæ ab exteris principibus, vel etiam à Magnatibus factæ, Successiones, thesauri in fundis publicis inventi, bona vacantia, bona publicata, & similia. Quilibet igitur populus ærarium habere de jure gentium potest, cùm sine illo subsistere, atque conservari nequeat.

§. II.

De *Ærario* patrimoniali res est clara; Verùm de *Adventitio* dubitari posset; An non potius inter privatos dividendum sit? Pro affirmativa facit, quod jus Naturæ velit; Eum commoda sentire, qui sentit incommoda; Nam contra justitiam Distributivam foret, unum oneribus gravare, alium verò honoribus cumulari, cùm tamen ejusdem essent conditionis, nec quidquam unus præ alio mereretur. Hinc olim Plebis Romanæ querimonia, quòd à Divitibus, & Magnatibus pingues prædæ, quæ à devictis hostibus reportarentur, solis occuparentur, neque eum aliis Civibus, uti par erat, deviderentur. Ubi par est jus, ibi par debet esse juris effectus, & sicuti totus populus Rempublicam constituit, Sic etiam totus debet de bona fortuna participare, sicuti adversam, & calamitates publicas ferre cogitur.

§. III.

Pro negativa tamen facit, quòd aliud quid sit populus collectivè sumptus & aliud Distributivè acceptus. Quidquid populus priori modo sumptus acquirit ejus est patrimonium, quod in populi necessarios usus, non in privatorum, vel singulorum Utilitatem impendendum. Posteriori modo sumptus populus sunt singuli Cives, quibus singulis privatim adest patrimonium, de quo possunt ad libitum disponere. Sicuti porrò Magnatum Divitiæ inter

☆ ( 61 ) ☆

inter pauperes Cives dividendæ non sunt, ita Populi patrimonium singulis distribui non debet, & hæc opinio nobis probatur.

§. IV.

Non obstat, quòd singuli Cives concurrant ad onera publica, adversitates, & incommoda ferant, nam ex inde non sequitur; ergò debent & de Emolumentis publicis participare, nam multum interest inter utrumque. Cives debent contribuere ad onera publica, quia sunt partes integrales populi, numerus enim Civium, dummodo talis sit, qui ad constituendum populum sufficiat, est tantum quid accidentale, ac proinde non est de necessitate, ut partem habeant emolumentorum, quæ populo essentialiter sumpto debentur. Secundò quidquid singuli Cives contribuunt ad hoc tenentur ratione subjectionis; quia quælibet pars toti subjecta, non ut totum obligent ad restitutionem, sed ad satisfaciendum obligationi, quæ toti tenentur, & obstricti sunt. Sicut iterum Dominus non tenetur servis, aut famulis suis patrimonium, seu peculium suum adventitium communicare, quamvis ipsi laborent, & operas vel ex contractu, vel ex conditione debitas præstent, sic etiam Populus ærarium suum, utut adventitium communicare non tenetur singulis Civibus; quidquid enim contribuunt ex obligatione alia de causâ præstant, quàm ut de publico ærario participant.



§. V.

Quæstio hæc non ignobilis sese offert, Utrum provinciâ à populo subjugatâ, debeant privatorum agri, & bona immobilia dominis suis relinqui, an verò acquirentis populi civibus, aut militibus assignari possint? R<sup>deo</sup>. Iterùm distinguendum putamus, vel enim populus belligerans Victor incepet bellum, vel victus. Priori casu, quanquam de rigore Victori omnia liceat in victum, tùm quò ad bona, cùm quò ad personas, uti docet Hugo Grotius de J. B. & P. exceptis his, quæ humanitatem lædunt, ac proinde Victor de occupatis bonis ad libitum disponere possit, de æquitate tamen naturali pristinis dominis relinquenda. Ratio hujus est, quia tali casu Victus defensione naturali innixus est, quæ nemini deneganda. Nec distinguo, utrùm personaliter, vel non, ad hanc defensionem hujusmodi domini cooperati sint, nam defendat quis per se, vel per alium non interest, cùm non curatur de modo, dummodo habeatur intentum.

§. VI.

Posteriori casu, si Victus scilicet inceperit bellum, Victor nec de juris rigore, nec de æquitate tenetur occupatos agros relinquere privatis, qui eos antea possidebant. Ratio, quia Aggressor perpendere debet, utrum satis virium habeat ad vicendum, nec ne. Quòd si hoc non satis prudenter egit, damnum, quod quis suâ culpâ sentit, sibi

bi non aliis imputare debet: Eo modo, quo in Civilibus Actor tenetur Reo non tantum expensas, sed & omnia damna refarcire. Dixi: *neque de equitate*, nulla enim subest æquitatis ratio, ut eis faveam, aut beneficiam, qui me primum aggressi sunt. Aliud autem est, si de Magnanimitate loquamur, vel etiam in quibusdam circumstantiis, ex commiseratione, tunc enim esset mera liberalitas, nullo jure cogente facta.

§. VII.

Ad ærarium publicum spectat etiam thesaurus in fundo publico inventus, saltem quod ad medietatem, altera vero medietas inventori, uti decidit Imperator Justinianus in §. 39. *Inst. de R. D. & A. I. D.* & hoc quidem juxta jus naturæ, cum enim hic summa Potestas ratione Domini Eminentis, item & inventor ratione favoris fortunæ, neuter alteri præjudicare debet, & rationes pro utraque parte militent, utique in duas partes Thesaurus dividendus. Verum quidem est, quod major videatur Inventoris Ratio, quia quæ nullius sunt occupanti cedunt; Thesaurus autem nullius est, cum dominum non habeat, vel non habere præsumatur, cum summa Potestas in omnibus, quæ subditorum sunt eminentis habeat dominium, ita ut certis casibus de illis disponere, eisque subditos privare possit, justè de his, quæ in fundis publicis, in quibus plenum habet dominium, privatis usui tantum concessio, partem sibi vindicabit, & sicuti Usufructuarius inter  
pri-

privatos inventura thesaurum in fundo Usufructuario cum Domino dividit, ita etiam inveniens thesaurum in publico fundo cum summa Potestate dividere justum, & æquum est.

§. VIII.

Major difficultas est de thesauro à privato in proprio fundo invento, utrùm scilicet summa Potestas possit illum sibi appropriare? Imperator Hadrianus æquitatem naturalem sequutus illum totum inventori adjudicavit. *L. un. C. de thes.* & post eum Justinianus cit. loc. Nam Augustissimi Principes putabant, justum non esse, quod quisque suis Laboribus, vel favore fortunæ acquisivisset, alteri acquisito, ipsi calamitosum fieri, & inventio sit modus acquirendi de jure Naturæ, idest rectæ Rationi conformis, sicuti & occupatio. Imò & rerum pro derelicto habitarum, justissimum est ei acquiri dominium, quod nullius est, uti thesaurus cujus Dominus non apparet. Præterea plenus Dominus fundi habet jus ad omnem utilitatem percipiendam, non tantùm quæ ex terra provenit, sed & quæ sub terra reperitur, cum ad alium non pertineat, nec ullus in ea quidquam juris sibi asserere queat.

§. IX.

His tamen non obstantibus, defendere non dubitamus, posse thesauros, ubicunque reperti fuerint sibi appropriari.

proprio. Ratio est, quia si certo modo, & in certis circumstantiis summa potestas potest subditis privatis, quæ jure dominii possident, auferre, fortiori jure poterit sibi appropriare, quæ nullius sunt, & uti agebat Rex Longobardorum, quò sublato, nemo est, qui legitime conqueratur. Dixi legitime conqueratur; Nam vix fieri potest, quin inventor de sibi commo ablato non conqueratur, cum quilibet sibi potius, quàm aliis, commoda parare naturaliter appetat; Ast non legitime conquereretur, nam quilibet privatus perpendere tenetur, sese obligatione naturali, & quidem plena, adstrictum esse, quocunque modo, totisque viribus, quantum in se est ad conservationem; imò & ad majorem splendorem Patriæ, seu Reipublicæ concurrere. Præterea Ratio recta dicat, publica privatis anteferenda bonis. Igitur thesaurus, ubicunque inventus fuerit, potius Reipublicæ, quæ magis indiget, quàm privato, cui minus necessarium est, attribuendus erit.

§. X.

Ergò ne, inquires, Inventor planè omni consolatione fortunæ suæ privabitur? R<sup>deco.</sup> hoc certè absolute asserere non aſſim. Quapropter putamus, aliquomodo huic inventori favendum, non tamen, ut medietatem thesauri acquirat, aut aliquam ejus partem prætere tendere possit; sed juxta circumstantias ipsi solatium aliquod indulgendum. Quid enim si dives aliquis, & bonis undique abundans inventor sit? Eritne illi pecunia, quæ non indiget, numeranda?

randa? Quomodo ergo ipsi gratificandum? Honore aliquo afficiendum esse putamus, quò ab aliis æqualibus distinguatur, vel aliquo privilegio pro se, & descendentibus suis donandus, aut aliqua eminentiori dignitate, si qualitates ad officium requiritas possideat honorandus. Sin verò pauper fuerit, ipsi vel ex eo thesauro aliquid tribui, vel ex publicis redditibus aliquid assignari, ut melioris sortis gaudeat beneficio, nè fortunæ favor ipsi calamitosum, cogaturque contra paupertatis miseras eluctari, ex benignitate fortunæ suæ Republica exultante æquum erit.

§. XI.

Ad ætarium publicum spectant bona Reorum propter commissum delictum publicata. Utrum autem Populis, aut summæ Potestati liceat sine offensa juris Naturæ bona Reorum in præjudicium filiorum innocentium publicare, non immeritò quæri potest? Videtur enim quòd non, quia hoc videtur directò juri-naturæ oppositum, cum recta Ratio non patiat, propter delictum unius, innocentes puniri, quod est intrinsecè malum; Si enim non licet, quem locupletari cum alterius injuria, seu jactura, nec Publico id licebit, eoque magis in præjudicium innocentium. Secundò filii statim, ac nati sunt, acquirunt jus naturaliter ad bona, vel saltem ad illorum certam partem, quæ patris sunt, in quo fundata est ratio legitimæ liberis à natura debitæ. Igitur non poterit ipsi auferri jus illud quæsitum, ac propterea non poterit summa Potestas in  
præ-

præjudicium filiorum innocentium propter delictum  
parentum bona publicare.

§. XII.

Oppositum tamen verissimum est: Primò quia bona sequuntur personam domini; ergò si summa potestas jus habet in personam delinquentis, ità ut possit ipsum etiam morte punire, poterit etiam ipsi bona, & quidquid habet auferre; Et sicuti filii conqueri non possunt, quòd eis auferatur pater, cujus persona ipsis debet esse charissima, & sanctissima, non poterunt justè conqueri, quòd ipsis una cum persona parentis auferantur bona, cum accessorium sequatur principale. Secundò: Quidquid habet privatus habet à summa potestate, nempe vitam honores, ac patriam; cum se igitur per delictum in patriam commissum fiat hostis, jure poterunt illa omnia, quæ habet à Patria, ei auferri, in hostem enim quid non licet?

§. XIII.

Rationes pro parte contraria allatæ nihil relevant. Nam quòd ad Primam non punitur innocens, sed nocens. Damnum enim quod sentiunt eo casu Liberi, est damnum tantum negativum, quod non tantum Republicæ, sed & inter privatos ipsos licet. Hoc autem damnum negativum in eo consistit, quod filii non acquirant hereditatem, quam non habent, viventis enim nulla est hereditas. Quòd

ad Secundam: verum quidem est, filios statim ac nascuntur acquirere jus ad hereditatem paternam, sed sub conditione: *si scilicet aliquando ipsis non auferatur ex facto ipsius parentis licito, vel illicito.* Quid enim si parens in vivis omnia bona dilapidet? Vel etiam ex facto filiorum, si ex legitima causa à parentibus exheredentur? Igitur filii habent tantum spem, fore ut olim paternam hereditatem acquirant, non habent autem jus firmum, radicatum, & formatum, uti vocant, ita ut nullo modo ipsis auferri possit.

§. XIV.

Ad hanc *Ærarii* speciem spectant etiam bona vacantia, de quorum acquisitione, utrum scilicet justè publico acquirantur, dubitandum non est, quia cum dominum non habeant, nullius sunt; Ergò ad populum spectant, cum quæcunque in territorio populi sunt, ejus sint dominio tenus, quòd scilicet nullus privatus illa fortiori jure detineat. Ratio Rationis est, quia vel à populo, in quo sita sunt, vel ab extraneis occupari possunt. Non ab extraneis, quia prorsus ab omni commodo, & beneficio hujus populi exclusi sunt, cum etiam nihil ad ejus conservationem, ac sumptus necessarios ferendos contribuant; ergò à proprio populo, qui omnia per officiales quò ad bona publica, vel per privatos tanquam populi membra quò ad bona privata, possidet, & extranei nullum planè jus

· jus habent ad illa, populus autem proprius saltem emi-  
nens habet, dominium, cujus vigore bona, quæ nullius  
privati sunt, ad publicum revertuntur.

## De Contractibus.

### Titulus Sextus.

**N**on modo de jure gentium sunt Contractus, sed &  
juris gentium, id est non tantum cuilibet populo  
contrahere licet, sed etiam cuilibet de populo, uti alibi  
dictum est. Non quærimus autem hic, quid, & quotu-  
plices sint contractus, hoc enim paucis ignotum est.  
Quasdam solum quæstiones examinabimus, quæ ratione  
contractuum ad jus gentium referri possunt.

#### §. I.

Prima igitur quæstio erit utrum Populus contractum  
cum alio populo initum semper servare teneatur? In primis  
videndum est, utrum contractus bona fide, an verò dolò,  
errore, aut metu initus sit. Contractus bona fide initus,  
vel utrique parti prodest, vel uni tantum. Si prius, nul-  
lum subest dubium, quin servandus sit; Nam idè con-  
trahunt homines, ut sibi prospiciant, nec ulla subest ratio,  
cur ab altera parte à contractu recedatur, cum utriusque  
versetur Utilitas, ad quam tamen populo de jure naturæ  
sedulo respiciendum.

13

prodest,



prodest, altera contra bonam fidem ageret, à contractu recedere volens quia quod semel placuit amplius displicere non potest, & sicuti non cogebatur contrahere, sic quod semel approbavit amplius improbare non debet. Populus contrahendo induit privati personam, quapropter sicut si privatus contractum sibi damnosum ineat, à populo ipso per Magistratus Civiles ad ejus observantiam cogi potest, sic ipse populus semet-ipsam, cum superiorem non agnoscat, ad id, quod contrahendo promittit, cogere debet, quod enim quisque juris in alterum statuit, eodem ipsemet utatur.

§. III.

Quid porrò, si tempore quidem contractus initi, contractus utrique parti proficius fuerit, sed ex postfacto ob rerum vicissitudines incipiat uni esse damnosus? **R.** deo distinguendum est, vel damnum à casu fortuito provenit, vel à culpa illorum, qui nomine populi contraxerunt. Priori casu, damnum patienter ferendum, casus enim cuique nocet. Sic si duo populi contraxerunt, ut in remotas plagas navigationem alternis annis instituerent, & vel propter adversas tempestates, vel propter Pyratarum incursum, aut vicinos hostes unius potius, quàm alterius populi negotiatio malè succederet, cum tale damnum nemini possit imputari, non est, in quem se convertat populus damnum sentiens, sed vel à navigatione desistendum, vel damnum ferendum.

§. III. Sin

§. III.

Sin verò damnum à culpa eorum, qui nomine populi contraxerunt, provenit, ut quia omnes clausulas necessarias non inferuerint, vel non omnia praevidenda praeviderint, tunc in illos, eorumque heredes, ac bona regressum habet, quia culpa unius alteri noxia esse non debet, & si non bene intellexerunt contrahentes, sibi imputent quòd negotium, ad quod insufficientes erant, peragendum susceperint. Quòd si ab his damnum relarciri non possit, tunc putamus, populum damnificatum posse absque offensa juris gentium, ac Naturae à contractu resilire, quasi restitutione in integrum impetrata, quae cuilibet communitati competit, quotiescunque nullum aliud competit remedium, gaudet enim jure pupilli. Dixi *quasi restitutione in integrum impetrata* quia revera non adest, à quo restitutio petatur, cum superiorem non habeant. Videtur tamen impetrata ab ipso jure Naturae, quod vult alteri per alterum iniquam conditionem non inferri, & alter populus videtur illam concedere, cum recta Ratio velit, ut quod quis sibi vult fieri, & alteri faciat.

§. IV.

Quòd si verò contractus ille ex errore initus sit, tunc servari non oportet, & Ratio est, quia in contractibus tota obligatio ex consensu oritur expresso, vel tacito, vel praesumpto; Atqui errantis nec expressus, nec tacitus,

tus, nec præsumptus adest consensus; ergò ex hujusmodi contractu planè nulla oritur obligatio. Ratio Rationis est, quia qui errat, non id, quod agit, intendit, sed aliquid aliud, ac proinde consentire dici nequit. Error autem debet esse facti, seu circa rem promissam; Secus enim est, ubi error est juris, quia vix fieri potest, ut jus naturæ, ac gentium à toto populo ignoretur, & si de facto ignoretur, hujusmodi crassa & supina ignorantia non attenditur, & non excusat.

§. V.

Sin porò ex dolo alterius populi contractus originem habeat, ut quia populus dolosè asserat esse, quod non est, vel commoda quædam, quæ non possunt existere, &c. tunc populus deceptus contractui stare non tenetur, quia dolus nemini patrocinari debet. Non obstat, quod populo decepto possit imputari, quòd in rem melius non inquisiverit, nec circumstantias examinaverit omnes; Nam utcumque in culpa sit, quamvis in culpa vix dici possit, qui bona fide agit, major tamen dolo, quàm culpæ inest turpitudò, ac proinde majorem meretur pœnam, qui dolosè, quàm qui culposè agit.

§. VI.

Quæstio esse potest, utrùm Populus possit alienigenam cogere, ut ineat, vel stet contractui à se invento?

Re-

**R**deo. **affirmativè**, quia quicumque in aliquo populo degit, se subicit legibus ab illo populo latis, cum unus non possit improbare quod ab omnibus approbatum est. Non obstat, quod leges unius populi Civiles non obligent alienigenas, quia jurisdictio non extenditur ultra territorium jusdicentis; Nam hoc verum quidem est, quoties alienigena extra territorium degit; Secus autem est, quando in territorio degit; tunc enim factus est, vel habetur tanquam unus è populo; Unde si vult ex illo populo aliquam utilitatem, seu aliquod commodum sentire, debet **etiam in his, quæ sibi forsân non placent, legibus populi subesse.** Sic Romani olim introduxerunt stipulationem, litterarum obligationem, & similia quæ sunt contractus merè juris Civilis Romanorum, quibus æquè Romani ac **exteri Romæ degentes ligabantur.**

§. VII.

Sed quid si contractus ab alienigenarum Indigena initus juxta leges indigenarum, remisso ad tempus aliquod ipsius contractus implemento, alienigena verò tempore statuto non impleat, sicque indigena veniat ad populum alienigenarum, ubi forsân circa talem contractum alia leges, aut consuetudines vigent, debetne populus alienigenarum **approbare contractum, vel tanquam non initum juxta leges patrias illum improbare?** In hac quæstione distinguendum putamus, vel enim differunt horum populorum leges circa substantialia, vel tantum circa naturalia, aut

K

solen-

solemnia contractus. Priori casu non debet populus alienigenæ approbare contractum. Ratio est, quia deficiente substantia, vel essentia rei, nulla est res, quæ approbari possit. Sic v. g. si in uno populo Lex, aut Consuetudo sit, emptionem contrahi etiam sine pretio constituto, cum pretium æquivalens valori rei sit de substantia hujus contractus, alter populus non attendet contractum, cum revera nulla sit emptio, ubi unum deficit ex substantialibus emptionis. Quod si verò non sit promissa evictio, & in populo alienigenæ emptoris vigeat Lex, nè quis de evictione teneatur, non erit audiendus evictionem allegans, quia etiam si evictio sit de natura contractus, potest nihilominus subsistere contractus emptionis-venditionis, quamvis exprimat, venditorem non teneri de evictione. Idem est, si v. g. in loco contractus vigeat legitima consuetudo, nè aliter vealeat emptio, etiam rei Mobilis, nisi apud acta publica insinuata fuerit, in alio verò hoc non requiratur, si venditor petat justum pretium, emptor verò solemnitatis defectum objiciat, ad solutionem condemnandus erit, quia nihilominus Contractus de jure gentium suam habet firmitatem, & emptor vel scivit, vel ignoravit hanc solemnitatem in loco ubi contraxit esse adhibendam. Si scivit, dolò agit quòd non adhibuerit; si nescivit, sibi imputet, quòd in conditionem ejus, quicum contraxit, non inquisiverit.

§. VIII.

Hic etiam non impertinenter quæri potest, An testamentum à Silesio in provincias exteras peregrinante, ac  
Viennæ

Viennæ decumbente, aut in statu Pontificio, ubi pauciores requiruntur solennitates, conditum, ratum habendum sit in Silesia, ubi plura requiruntur? *Respondo*. Affirmative. Primum, quia Validitas actûs pendet à jure loci, in quo celebratur, non à jure loci, ubi debet effectum sortiri; alias semper incertum esset, an valeat, vel non, cum innumerari dentur casus, ubi actus potius in uno, quam in alio loco suum effectum sortiatur. Secundò, Basis, & fundamentum testamenti est Voluntas Testatoris, quæ cum sufficienter appareat, non est querendum de solennitatibus, quæ ligant tantum agentes in loco, ubi à lege requiruntur, non alibi; Atqui absurdum foret, Voluntatem Testatoris negligere propter corticem verborum, aut solennitatum, quæ aliquod accidentale sunt respectu Voluntatis: Tertio, ideò solennitates in testamentis introductæ sunt, ut magis, magisque sustineatur Voluntas Testatoris, ac à dolis, & fraudibus immunis servetur; igitur propter solennitates, quæ in loco actûs gesti necessariz non sunt, non debet actus corruere, nè quod in *favorem* introductum est, in ejus odium retorqueatur.

§. IX.

Querret hic forsàn aliquis, Utrum Quasi-Contractus sint de jure-gentium, an verò tantum de jure Civili? Ratio dubitandi est, quia omnis obligatio vel ex consensu, vel à Lege oritur; Atqui certum est, quòd in Quasi-Contractibus non interveniat consensus, quia nec expressus,

nec tacitus in illis reperitur; Ergò tantùm à lege quæ præsumit consensum intervenisse; Atqui hujusmodi Lex est tantùm de jure Civili Romanorum, vel quorundam populorum, qui eam à Romanis mutuati sunt; ergo Quasi-contractus non sunt de jure gentium, quod apud omnes gentes per æquè custoditur. Nec obstat, quod quasi-contractus fundati sint in fictione juris; fingit enim jus, eum consentire, qui revera non consentit; Nam æquè hujusmodi fictio est à Lege Civili, quâ sublatâ, nullus est quasi-contractus, ac proinde quasi-contractus non sunt de jure gentium.

§. X.

His non obstantibus, dico: Quasi-Contractus esse de jure gentium. Ratio est, quia quasi-contractus fundati sunt in æquitate, id est in conformitate, quam præferunt ad dictamen rectæ Rationis; Atqui quod est ad ductum rectæ Rationis est de jure Naturæ, quod omnes homines secundum rationem viventes ligat; ergò est etiam de jure gentium, cum quod est de jure naturæ propriè dicto, per æquè ab omnibus gentibus custodiatur. Sequendò, id est procul dubio de jure gentium quod propter utilitatem, & necessitatem introductum est, in hoc enim distinguitur jus gentium à jure Naturæ propriè dicto, quod illud præter honestatem, quam hoc ad actum considerat, & requirit, etiam necessitatem, ac Utilitatem respicit; Atqui omnes quasi-contractus introducti sunt propter necessitatem

cessitates, ac utilitatem hominum præter honestatem, in  
 sua fundati sunt; ergo sunt de jure gentium.

§. XI.

Ad Rationem dubitandi, dico, omnis Obligatio ex a-  
 liquo facto descendit licito, vel illicito. Si factum est  
 illicitum, dicitur delictum. Si licitum, vel factum ni-  
 titur consensu, ac voluntate unius tantum, qui se obli-  
 gat, & est Votum, vel Pollicitatio. Si voluntate duo-  
 rum, vel plurium, dicitur pactum, vel contractus, quæ  
 duo hodiè non distinguuntur, quorum plures sunt speci-  
 es subalternæ; Sin verò consistat in voluntate unius tan-  
 tum alterum, utut inscium obligare intendentis, dicitur  
 quasi contractus. Ex his igitur fontibus oritur Obliga-  
 tio, etiam præscindendo à lege positiva, nam Lex non est  
 quid principale, sed accessorium, ad factum obligatorium,  
 & est ut ita dicam modus, vel instrumentum manifestan-  
 di obligationem, quæ ex facto oritur, ut si quis hanc o-  
 bligationem ignoret, aut agnoscere moretur, à summa  
 Potestate ad illius implementum cogatur, non esset autem  
 opus lege, si quilibet obligationem agnosceret.

§. XII.

Quòd si quis regerat, omnem obligationem in qua  
 si contractu esse saltem à jure, seu Lege Naturæ: R deo  
 distinguendo, aliud est provenire à Lege naturali ut prin-  
 cipali,



cipali, & aliud à Lege, ut accessoria. Positò factò, immediate habet locum Lex naturalis, quæ decidit de qualitate facti; Lex autem positiva, quæ Legis naturalis est declarativa, est accessoria ad legem naturalem. Lex autem naturalis non sufficit ad ponendas, & distinguendas, species facti, ex quo nascitur obligatio, alias nulla esset differentia inter votum, pollicitationem, contractum realem, verbalem, litteralem, consensualem, & quasi-contractum, cum in omnibus dominetur Lex Naturæ, quæ generaliter sub se comprehendit omnes species obligationis. Ad distinguendum igitur varia facta, quæ obligationem pariunt, dicuntur contractus, vel quasi-contractus, ac si diceremus ex illo facto obligationem oriri ad instar contractuum, quia recta Ratio dicat, eum v. g. cujus negotium geritur, obligari, ac si consensisset, quanquam reverà non consenserit, quia tamen etiam reverà non dissentit, in dubio potiùs judicandum consentire, quàm non consentire, nè quidquam contra dictamen rectæ Rationis inducatur.

## §. XIII.

Objic. Obligatio, quæ oritur ex quasi-contractu est obligatio tantùm naturalis imperfecta, seu minus plena, oritur enim ex factò quidem honesto, sed sine consensu, & notitia alterius partis, ac proinde implementum ejus tantùm pudori obligati relinquitur, ita uti etiam ad tribunal juris Naturæ alteri nulla competat actio; Ergò to-

ta

ta obligatio, quæ oritur ex quasi-contractu est à lege positiva; Ergo non ex ipso facto, quod debeat esse obligatorium. R<sup>de</sup>o. Obligatio ex quasi-contractu oriens non est minus plena, sed plena, quia in notitia, & consensu partis consistit, non quidem consensu actuali, sed virtuali, quem consensum virtualem inesse, Lex positiva explicat, præsumit enim adesse, cum non adsit dissensus; Atqui eadem est Virtus actualis consensûs, ac Virtualis, ac proinde ex quasi-contractu oritur obligatio naturalis plena, qui consensu virtualis à lege positiva detegitur, vocaturque præsumptus. Sicque Lex est accessoria ad factum obligatorium, non principalis causa obligationis, quia non esset Lex, nisi adesset factum obligatorium, cui Lex accedit.

§. XIV.

Eodem modo discurrendum de Matrimonio contracto inter duos Cives alterius populi juxta leges patrias, casu quo ex postfacto hi jugales ad alterum populum transeant, in quo aliæ leges circa Matrimonia observantur; Nam cum ab initio constiterit matrimonium, non debet ab altero populo improbari. Ponamus enim duos jugales Mahometanos, unum ad Christianam Fidem converti, & alteram partem à conjugè separari nullo modo velle, non proinde illorum matrimonium dissolvitur; quamvis enim quò ad partem infidelem non fit sacramentum, est tamen contractus legitimus, qui cum ab initio constiterit,  
dissol-

dissolvendus non est. Hoc tamen limitatur, nisi pars infidelis nollet fideli cohabitare, vel nisi periculum foret majoris mali, vel corporis, vel perversionis, aut scandali, tunc enim ex supervenienti justa causa, sicut quilibet alius contractus dissolvi posset, cum eo casu nulli subsit indissolubilitati, deest enim in illo Ratio, quæ indissolubilitatem inducit.

## De Jure Gentium, circa ea, quæ respiciunt Populum ad-extra.

### Pars III.

**H**actenus examinavimus breviter ea, quæ respiciunt populum ad-intra, non habito scilicet respectu ad alium populum; sed tantum populo in se & quasi in visceribus suis considerato. Nunc jura populi considerata veniunt, considerato populo quò ad ea negotia, quæ illum concernunt respectu alterius populi, seu quatenus populus cum populo negotium aliquod habet. Multa quidem sunt hujusmodi negotia inter populos communia, de quibus multi multa in lucem ediderunt. Nos autem brevitati nostræ Dissertationi propositæ studentes, potiora tantum perlustrabimus, ut amicabilem disputationem materiam probeamus. Et primò:

De

## De Commerciis.

### Titulus Primus.

**C**ommercia ex necessitate introducta esse, nemo est, qui ambiget, cum enim non omnis ferat omnia tellus, & tamen omnis populus, vel ad vivendum, vel saltem ad commodius vivendum, pluribus indigeat, necessum omninò fuit, per commercia rerum communicationem introduci, ut quæ deessent, haberi possent. De origine Commerciorum, neque de modis commercia promovendi, non erimus hic solliciti, hæc enim altioris sunt indaginis; sed tantum quædam proponemus, in quibus quid juris sit de jure gentium, examinabimus.

#### §. I.

Queritur ergò, Utrùm populi Christiani cum infidelibus licitè habeant commercia? Pro negativa facit, quòd Hostibus nullum commodum ferendum sit, nè audaciores; imò fortiores fiant ad nocendum. Quid? potius modis omnibus ipsis nocendum, & commoda, si quæ habent, ipsis subtili ingenio auferenda, ut debilitati, minùs ad nocendum sint apti; Atqui certum est, infideles hostes Christianorum insensissimos esse, quòd omni ævo compertum est, quanta barbarie Christiani nomine insignitos affecerint, quot, quantisque cruciatibus, ac tormentis persecuti, ac persecuti fuerint, ità ut omni humanitate

L

exuti

exuti, non ut hostes, sed ut infernales Furia in miseros innocentes saevierint. Igitur nullo modo cum ipsis commercia instituenda sunt.

§. II.

Secundò, certum est, quòd ideò instituantur commercia, ut ex his aliquod emolumentum obveniat; Quis enim molestias, & pericula negotiationis, navigationis, ac itinerum in se suscipiat, nisi spe lucri, ac utilitatis allectus? Atqui pariter extra dubium est, ab infidelibus nullum, vel minimum lucrum sperandum; qui enim alicui emolumentum aliquod favet, se illo fraudet oportet, quod non nisi ab amore, vel humanitate expectandum; quæ porrò humanitas ab his speranda, qui omni prorsus humanitate in populos fideles destituti sunt? Quin imò timendum, nè hujusmodi barbari, si non vi, saltem dolò fideles negotiatores bonis omnibus exuant, quod prudentia exigit præcavendum; Ergò planè cum ipsis nulla commercia exercenda.

§. III.

His tamen non obstantibus, oppositum verum putamus. Ratio, quia in commerciis exercendis non attenditur qualitas, aut diversitas personarum, sed tantum utilitas, quæ exinde resultat; Et quamvis mercator Deo sit infidelis, potest nihilominus fidelis esse hominibus; Non enim Deo infidelis est, quia velit esse

se infidelis, aut ex impietate talis est, sed tantum errore ductus, putat enim suam fidem veram esse Latriam, suumque Cultum Divinitati acceptum; Igitur non exiit humanitatem, cui est à Lumine Rationis indita Religio erga Divinitatem. Ex hac ergò humanitate debet naturaliter socialis esse, & intuitu necessitatis, ac Utilitatis cum hominibus, cujuscunque sint ordinis, nationis, aut Religionis libenter negotiari, quod ex principio juris naturæ descendit, cum omne simile sibi simile amet.

§. IV.

Præterea in commerciis habet locum tantum justitia commutativa, cum in illis tantum habeatur ratio valoris rerum commutandarum, sine ullo respectu ad qualitates, ac merita personarum; Nam qui permutat res venales, vel cum alia re venali, vel cum pecunia loco alterius rei, non considerat, an contrahens Princeps, aut plebejus, nobilis, an rusticus, bonus vel malus, bene vel male meritus de Republica, Virtutibus illustris, aut vitiis deformis sit, dummodo æquivalens cum æquivalente commutet; Sicque præscindit à Justitia distributiva, quæ personas, quibus quædam tribuenda, considerat, uti est Religio ergà Deum, & quid quid à Republica ex his, quæ Reipublicæ sunt, applicandum venit privatis. Igitur nulla subest ratio, cur cum infidelibus non exercentur commercia, cum necesse non sit, ut veram profiteantur fidem ergà Deum, sed tantum colant bonam fidem ergà homines, cum nihilominus homines sint.

L 2

§. V. Non

## §. V.

Non obstant in contrarium allata, nam quò ad primum, nego; quòd omnes Infideles sint fidelium hostes, saltem manifesti: Sunt quidem hostes theologicè de jure divino, non autem de jure gentium. Exemplum habemus præ oculis in Judæis, quibus continuò conversamur, qui dato, quòd occultè nostri sint inimici, tamen manifesti non sunt, utut sint hostes theologicè, non tamen sunt politicè, sed tantum de jure divino, non verò de jure gentium, & quibuscum quotidie commercia, & negotiationes exercentur. Aliud igitur esset. si jam de facto bellum inter nos, & illos arderet, tunc enim certè nullum commercium cum illis habendum foret, quia ab hostibus non nisi doli, ac mala omnia pertimenda. Nec quidquam facit, quod infideles pessimè cum Christianis quandoque egerint, & de facto agant; nam hoc procedit in materia Fidei, ac Religionis, non autem in materia commerciorum. Hinc in Japponia Belgæ, qui in materia Religionis nec scrupulosi, nec nimium ferventes sunt, cum infidelibus optimè negotiantur, ubi Hispani, & Lusitani Zelosi nimis ab omni prorsus commercio exclusi sunt.

## §. VI.

Quòd ad secundum, dico, ab infidelibus nullum quidem lucrum sperandum, idest ab illorum liberalitate, conc. Secùs autem est ab illorum necessitate, vel avaritia, & ab

ab ipsis fidelibus; Nam cum infideles ex rebus à nobis illis communicatis, atque suis confratribus postea iterum divenditis lucrum sperent, lucrum etiam nobis causant, cum nostris fidelibus per negotiationem res ab infidelibus acquisite, communicamus, ex hac nova communicatione lucrum, & utilitatem reportamus, quod finis commerciorum est. Et hæc est ratio, cur incommoda, & pericula negotiationis, ac itinerum terrâ, marique suscipiantur, ut exinde utilitas acquiratur, vel denique damnum, si negotia non bene succedant, sicuti Hispani, Lusitani, Angli, Belgæ aliique populi aliquoties experti sunt.

§. VII.

Quid porrò, si populus infidelis planè omne commercium cum populo fideli habere recuset, poteritne dici, jus gentium per hoc violare? R<sup>deo.</sup> breviter negativè. Quia in primis nemo ad contrahendum, hoc est ad emendum, & vendendum, sive permutandum cogi potest cum id sit actus liberæ voluntatis, & consensûs. Secundò commercia introducta sunt propter necessitatem, vel utilitatem; Atqui fieri potest populum infidelem nec fidelis populi rebus indigere, nec ullam ex his querere utilitatem, quam vel ex propriis haurit, vel ex aliis vicinis infidelibus expectat, & acquirit, ideòque illa carere potest; Vel denique, Tertio, quia mavult rebus sibi à natura productis, vel à Civium industria provenientius contentus esse, omnique ab-extra provenienti utilitate renunciare,



are, sicque non lædit jus gentium, quia nec jus naturæ offendit, cum utens facultate sibi competenti nemini faciat injuriam.

§. VIII.

Possent quidem aliquis objicere, quod quicumque populus non facit id, quod omnes populi faciunt, lædit jus gentium, quod apud omnes gentes peræquè custoditur; Atqui de facto commercia inter omnes populos practicantur; Ergò populus, qui cum alio commercium recusat lædit jus gentium. Verum R<sup>deo</sup>. Quæ sunt de jure gentium in duplici sunt differentia, quædam enim sunt, quæ fieri debent, & quædam, quæ fieri possunt. Prioris ordinis sunt v. g. Legatos amicè, ac honorificè recipere, innoxium transitum permittere, auxilium naufragis concedere &c. Posterioris ordinis est fœdus inire, bellum gerere. &c. Hujus ordinis etiam est commercium exercere. Ratio est, quia illa non possunt omitti sine injuria, aut damno alterius populi, cujus commodum etiam respiciunt; hæc verò respiciunt tantum commodum unius populi, ac proinde potest illis ab eo renunciari. Quod si porrò instet, commercia respicere commoda utriusque, ac proinde non posse ab uno tantum illis renunciari; R<sup>deo</sup>. commodum ex commerciis incertum est, & non sine incommodo, quod si populus videat plus sibi damno, quam lucri ex his provenire, non tenetur exercere. Deinde renunciando commodo suo populus renunciat, vel poti-

us impedit per indirectum alterius commodum, quod semper licet, cùm nullum inferat damnum positivum.

§. IX.

Quæres, utrùm populus ab incæpto commercio ad libitum resistere possit? Videtur, quòd non, quia quod semel placuit amplius displicere non potest. Secundò: Commertium est species contractûs innominati facio-ut-facias, à quo cùm una pars fecerit, altera resillire non potest, esset enim fidem fallere, quod juri naturali repugnat. Oppositum tamen verum est, nam, cessante causa, cessat etiam effectus, idest cessante causa necessitatis, aut commodi sperati ex commercio, cessat & ipsum commercium. Hoc tamen observato, quod tempestivè renunciari debeat commercio, idest ita ut nullum damnum per hanc renunciationem alteri populo inferatur, alias populus renuncians tenetur alteri damnum causatum resarcire, & si non sit paratus ad resarciendum, jus gentium, imò & jus naturæ lædit, quod non vult alteri per alterum iniquam conditionem inferri.

§. X.

Non obstant opposita, quia quod semel placuit amplius displicere nequit, ubi alteri est jus plenum, ac perfectum quæsitum, non autem ubi quis se, nisi in quantum, obligavit. Nec verum est, commercia esse speci-

em

em contractus innominati facio-ut-facias, nisi lato modo sumpta, sed strictè sumpta sunt quædam societas, à qua semper licet resilire, quotiescunque incipit esse damnosa, vel non amplius placet. Quod cum liceat inter privatos, qui sub summa potestate sunt, eo magis inter populos licebit, qui superiorem non agnoscunt, nec Actus Agentium ita capiendi sunt, ut ipsos agentes obligent præter illorum intentionem. Hic porro præsumitur, populum commercia instituendo, se libertate ab illis desistendi spoliare noluisse, cum renunciationes non præsumantur.

## §. XI.

Quæres ulterius, utrùm de damno illato à privatis unius populi privatis alterius teneatur populus inferentium? Supponendum in primis est, damnum esse datum ex dolo, aut culpa, utut levi inferentium; nam si ex ipso commercio damnum fuerit, non habent passi, de quo conquerantur, cum commercium & negotiationem instituentes & lucrum & damnum in se suscipiant. Supponendum est (2<sup>do</sup>.) damnum illatum ab ipsis inferentibus resarciri non posse, quia certum est, quod in quantum possunt, qui damnum dederunt resarcire teneantur, dum enim remedium ordinarium superest, ad extra ordinarium recurrendum non est. Supponendum (3.) populum expressè, vel tacitè commercium approbasse, nam si privati clandestinè, ac, saltem præsumptivè, contra publicam intentionem negotiati fuerint, justum non erit, populum ad damnum ab illis illatum resarciendum obligari.

## §. XII. His

§. XII.

His ita suppositis, dico, populum, seu summam potestatem damnum à suis subditis alterius populi subditis, dolò, vel culpâ illatum refarcire teneri. Ratio est, quia Commercia respiciunt principaliter populum, in cuius potestate sunt, utut per privatos exercentur, hi enim sunt tantum instrumenta, quibus populus illa exercet. Secundò quicumque approbat principale, debet etiam juxta dictam rectæ Rationis, approbare id quod ex accidenti evenit. Tertio: Indisputabile est, quòd ex commerciis totus populus commodum sentit; Ergò & incommoda ferre tenetur juxta regulam Juris Naturæ. Quartò: quia commercia nituntur fide publica; ergò Respublica directò obligatur, cum qua populus alter contraxisse videtur.

§. XIII.

Objic. I. Poenæ suos tenent authores, & injustum est, eum qui non deliquit puniri; Atqui in præsentibus non Respublica, seu Populus, deliquit; Ergò populus puniri non debet. Secundò: Innocentes de eo teneri non debent, quod à delinquentibus commissum est; Atqui, si populus teneretur damnum ab uno, vel altero ex privatis dato, reliqui Cives innocentes tenerentur de damno à delinquentibus dato; ergò populus eo casu teneri non debet. Quòd ad hanc minorem dubitandum non est, quia si populus teneretur; omnes privati, tanquam populi membra

M

debe-

deberent pro virili ad resarciendum damnum concurrere, nec enim aliter populi debita, & onera solvi, aut ferri possunt, quàm factâ collectâ, ut quilibet ratam portionem contribueret, quod esset pro nocente, innocentes teneri.

§. XIV.

Speciosa sunt quidem hujusmodi objectiones; verum non sufficientes; Nam quò ad primam, axioma habet quidem locum in pœnis, non autem quando agitur de resarciendo damno illato, ad quod non tantum obligatur qui damnum intulit, sed & is per cujus homines negotium geritur, quod patet in actionibus exercitoria, & institoria, item noxalibus, &c. Quò ad secundam, innocentes non tenentur de eo, quod à Delinquentibus commissum est, quò ad pœnam, conc. quò ad damnum resarciendum, limito, nisi sint partes Universitatis, quæ tenetur, tunc enim debent concurrere ad ferenda onera publica ex quacunque demum causa contracta sint; & qui aliquo modo principaliter, vel secundario, directè, vel per indirectum aliquid commodi ex his, qui deliquerunt, sentit, ut in nostro casu, ubi certè omnes de populo hoc, vel illo modo aliquam utilitatem ex commerciis perceperunt.

§. XV.

In hac materia non extra propositum erit querere, utrum unus populus possit, ita cum certo aliquo populo

commercium sibi appropriare, ut omnes alii excludantur? Videretur affirmandum, quia occupatio eorum quæ nullius sunt, de jure naturæ, ac gentium permiffa est; ut patet ex originariis modis acquirendi, de quibus DD. communiter, & de facto Dominium totius terræ ab occupatione initium capit, quò factò, qui occupavit jure merito alios axcludit, & si invadatur, omni jure tam naturali, quàm gentium; imò & Civili attentanti resistere potest; Atqui in nostro casu populus jus commerciorum cum certo populo primus occupavit statim ac cum illo commercium incipit; ergò alios omnes excludere poterit. Major infallibilis est, minor patet, quia priusquam populus incœpisset exercere commercium, nullius erat commercium; ergò conclusio indisputabilis.

§. XVI.

Oppositum tamen defendimus; Jus enim commerciorum unicuique populo de jure gentium competit, & quidem jure naturæ innixò, quò unicuique licet, propriam commoda quærere, sibi que comparare, dummodo sine damno positivo alterius fiat; igitur nulli populo denegandum. Secundò: Communicatio rerum suarum cuique licet, quilibet enim rei suæ dominus moderator, & arbiter; Siquis igitur populus populo, de quo hic, res suas communicare velit, arcendus non est, hoc enim esset ipsum jure, seu facultate, quæ de jure Naturæ gaudet, privare, quod admittendum non est; ergò ipsi debet esse

M 2

per-

permissum. Tertio: quidquid repugnat juris naturæ præcepto, admittendum non est; Atqui si alii populi excluderentur à commercio, hoc repugnaret præcepto juris naturæ, jubenti quod tibi vis fieri, id & alteri faciendum; Ergò alii populi excludendi non sunt. Quarto: Rerum communium usus nemini denegandum, quia res communes dominiò tenus nullius sunt, sed usus ad omnes pertinent; Atqui commercia exercere est res omnibus populis communis; ergò illius usus ad omnes pertinet de jure gentium; ergò nullus populus excludendus.

§. XVII.

Pro resolutione rationum dubitandi, dico, hæc propriè non esse locum occupationi, quia occupatio est propriè rerum corporalium, cum debeat à possessione initium sumere, quæ in illis propriè locum habet; non verò in rebus incorporalibus, de quibus non prædicatur possessio, uti est jus Commerciorum, ideòque in illis habet locum tantum quasi-possessio. Porro non implicat, plures esse in quasi-possessione unius ejusdemque rei incorporalis, uti apud omnes in comperto est. Deinde in nostro casu nihil aliud asseri potest, quam prioritas temporis, vel exercitii-juris commerciorum, quæ utilis quidem est exercenti, non tamen auferit alteri jus æquè illud exercitium sibi competens exercendi. Sicuti enim non ideò quis potest aliis prohibere, nè per viam publicam ambulent, ex eo; quòd ipse primus per eam ambulaverit, quia jus, quod illi

illi habent ad ambulandum per illam viam, non pendet à voluntate, ac potestate prohibentis; Sic etiam populus primò jus commerciorum cum alio exercens, non potest alios impedire, quin jus, quod habent ad commercia exercenda, exercent, cum hoc neque à voluntate, neque à potestate prohibentis, & de facto exercentis pendeat, sed à jure gentium quod omnibus populis competit.

## §. XVIII.

Sed quid, si populus aliquis detexerit populum antea incognitum, poteritne aliis populis commercia cum populo detecto prohibere? R<sup>deq.</sup> breviter distinguendum esse, si populus detegens novum populum detexit, & subegit simul, & dubium non est, quin possit aliis commercium prohibere, per ea quæ supra §. 7. dicta sunt; Sin verò tantum detexit, & cum illo commercia exercere incepit; alios excludere non potest: Non obstat, quòd si non detexisset alii non haberent commercium, quia detectio rei non mutat naturam ipsius, & in compensationem hujus fortunæ, aut laboris jam factis habet, quòd ad comparanda lucra, & commoda sibi necessaria commercium instituere possit; Ast sine præjudicio jurium aliis competentium. Quòd si tamen propter reparationem, conservationem, aut securitatem viarum populus detegens sumptus aliquos fecerit, aut facere cogatur, poterit de jure aliquid ab aliis populis commercium exercentibus exigere, quia qui sentit commodum, etiam incommoda sentire recte Rationis Dictamini consentaneum est.



\* ( 94 ) \*

## De Afylis.

### Titulus Secundus.

**N**ihil magis humanitatem decet, quam miseris, & indigentibus auxilium ferre; Cum enim cognatio quaedam inter individua ejusdem speciei ab ipsa natura non solum rationali, sed etiam tantum sensitiva constituta sit, iniquum est, hominem homini nocere, quando ipsamet bruta non nisi ex pregnantissima causa, quo casu etiam hominibus licet, in speciem non saeviunt. Ex hoc principio sequitur, quod miseris auxilium ferre de jure naturae homines teneantur; nihil enim tam naturale est, inquit clementissimus Justinianus, quam eum, qui se juvare non potest, ab aliis juvari. Hinc jam ab initio inter omnes Populos Afylorum jura introducta sunt, de quibus aliquid in praesenti.

Quamvis Afylum in lata significatione securitatem, patrocinium, & opem importet, quae miseris praebentur, hic tamen pressius acceptum nomen Afyli protectionem illam importat, quam unus populus, vel summa potestas illis, qui ab alia aequè summa potestate propter aliquod delictum perpetratum persecutionem patiuntur, intuitu humanitatis concedit. Distinguitur igitur à Foederibus, quae ligant summam potestatem ad mutuam defensionem,

onem; seu conservationem contra æquè summam potestatem, vel etiam contra eos, qui fœdere juncti sunt, de quibus in sequentibus. Distinguitur etiam à servitio, quod à Vasallo Domino Directo præstatur; nam hoc ab obligatione, & fidelitate, quam ille Domino juravit, procedit, de quibus Feudistæ in longum & latum.

§. II.

De Asylo igitur in hac significatione accepto, quaeritur primò, utrum Asylum non sit contra justitiam? Et prima fronte videtur affirmandum, quia delicta non debent manere impunita, & quidem Reipublicæ interest, Criminosos puniri; Atqui Asyli jus patricinio est criminosis, qui proinde non puniuntur de commissis criminibus; Igitur jus asyli repugnat justitiæ vindicativæ. Secundò: Malitiis hominum non est aperienda via; aliunde enim natura humana jam satis, abundèque ad malum proclivis est; Sed per Asylum facinorosis aperitur via ad ulterius delinquendum, nihil enim magis delinquentium audaciam, & impudentiam auget, quàm impunitas, nam mali à malo avertuntur tantùm poenarum formidine; Igitur Asyla injusta sunt.

§. III.

Tertiò tertum est, quòd nemo debeat mittere falvum in messem alienam; quia quod tibi non vis fieri, alteri

teri nō feceris, id est nemo de jure debet impedire summam potestatem, quin subditos suos facinorosos puniat; in hoc enim jus summæ potestatis consistit, ut bonè meritos præmiis, malè autem meritos justis penis afficiat. Atqui populus, vel summa potestas asylum facinerosis præbens mittit falcem in mæssam alienam; Ergò Asyla Justitiæ repugnant. Quartò: non potest pinguior victima Deo mactari, quàm homo sceleratus; & bonè quia *virum sanguinum, & dolosum abominabitur. Psalmista: & notissimum ex toto antiquo testamento, quanta severitate Deus ipse, utut clementissimus, etiam non horrenda crimina puniverit; Atqui asyla obstant impiorum punitioni, ac impedit hujusmodi pinguioris victimæ sacrificium; Ergò, si prius justum, procul dubio posterius injustum, cum opposita se invicem tollant, & quod dicitur de proposito, in proposito, oppositum dicitur in opposito.*

§. IV.

Quamvis hæ rationes videantur fortissimæ, Asyla tamen non tantum de jure gentium, sed et de jure naturæ; imò & de jure Divino jure defendimus. Primò, quia petentibus iusta deneganda non sunt. *6. tit. Inf. de his qui sui, vel alien. juris sunt.* Atqui iuste patrociniū petit, qui persecutionem patitur; Ergò illi denegandum non est. Major vera est, & ad ductum juris naturæ, id est recte Rationis. Minor negari non potest, quia quid magis naturæ proprium, quàm in adversus querere solamen

men, in periculis salutem? Quid magis humanitatis con-  
 forum, quam indigentibus opem & auxilium querere?  
 Certo oppositum pugnat cum dictamine recte Rationis;  
*fac alius, quod tibi fieri cuperes*, divinitus paucis  
 verbis ab incarnata Divinitate explicatum in Secunda de-  
 calog' parte: *Deliges proximum tuum sicut te ipsum*.  
 Quisquis ille sit, qui auxilio indiget, indigentia, vel igno-  
 tus, bonus, vel malus, non cessat esse homo, & ex hac  
 ratione auxilio in periculis afficiendus; Imò vel amicus,  
 vel inimicus sit, non interest, inimicis enim ipsis benefa-  
 ciendum, quatenus sine proprio dispendio fieri potest.

§. V.

Secundo si deberet asylum querentibus denegari, maxi-  
 mè foret, quia crimina deberent puniri; Atqui Asylum  
 petens à populo, ad quem recurrit, puniri non potest; er-  
 gò asylum minimè illi denegandum. Minor patet, quia  
 utquis puniri possit, debet cum peccat, sub potestate, ac  
 jurisdictione ejus esse, à quo puniendus sit; Atqui asylum  
 petens, sub potestate ejus, qui præstat asylum non  
 peccavit, nec enim in territorio ejus deliquit; Ergò  
 non potest illum justè punire, quia extra suum ter-  
 ritorium non extenditur jurisdickio; ergò illi asylum de-  
 negare nequit; imò scire nequit, an peccaverit; is enim  
 semper justam, vel saltem probabilem causam præferet,  
 vel plene factum negando; vel saltem quantum fieri pote-  
 rit excusando, quod facile credendum, cum quilibet præ-  
 sumatur

N

sumatur

sumatur bonus, nisi probetur malus, & prouiores debemus esse, si non sumus, ad absolvendum, quam ad condemnandum: *L. Arrianus. 47. ff. de Ob. & Act.*

§. VI.

Tertio, nemo potest condemnari, nisi legitime accusatus, & convictus, quia nemo debet esse indefensus, defensio enim juris est naturalis, & nemini deneganda, quam Deus ipse nec infernali serpenti in primo criminali iudicio, quod in hoc terrarum orbe institutum est, denegavit; Atqui populus, à quo delinquens aufugit, non accusat eum apud populum, ad quem confugit; hic enim non petit ut puniatur, sed vult ipsemet punire, nec facit aut eligit populum ad quem in iudicem, nec enim se potestati illius subicere vult; Ergo populus ad quem non potest asylum querentem punire, alias iniustitiam committeret innocentem, saltem presumptivè talem, non accusatum, ac indefensum puniens; quod non iustitiam, sed planè inhumanitatem redoleret.

§. VII.

Quarto, cuicumque privato licet naturaliter sese de uno territorio, ad libitum, in aliud transferre; Localis enim motio est proprietas viventis animati, quam nulla potestas, nisi per vim, auferre potest; eoque magis homo liber, cui tota terra est sustentaculum; Igitur non potest popu-

populus ad quem hanc facultatem confugiendi aufertur sine iniustitia nota; imò sine proprio præjudicio, ejus enim maxime interest per advenarum numerum augeri, nec delictum aliquod ideò committat, quòd se illuc transferat. Nec si repetatur illum extradere tenetur, quia cum sit factus illius membrum, aut subditus, non debet illum unicuique, repetenti tradere, cum cuilibet populo jus sit, suos homines, tanquam membra ejus, saltem integralia, repetentibus non extradere. Alia possent afferri rationes Asyla justificantes; sed hæc pro nunc quasi intransita sufficiant.

§. VII.

Rationes dubitandi facile diluuntur; nam quòd ad id. Verum quidem est, quòd crimina non debent impunita manere; Ast à quo punienda sunt? Non ab alio, me hercle; quam à Legitima potestate. Non est autem legitima potestas, nisi ea, in cujus territorio, sive sub cujus jurisdictione delictum patratum est; cujusmodi certe non est potestas populi ad quem, sub cujus jurisdictione nullum delictum patratum, igitur uti nullum est delictum, nulla quoque potest esse poena. Nec per hoc (quò ad idem) malitus aperitur via, quia Asylum concedens nullo modo, neque effective, neque permissive concurrat ad delictum antea, & quidem ipsò incitò, vel si sciverit, illud impedire non valente. Nec etiam sequitur, quòd talis delinquens iterum postea delinquat, nam non sunt

expectandi tristes eventus, & quanquam semel malus scilicet per præsumatur malus in eodem genere mali, hoc verum est, de malo, seu delicto secundo commissio, cujus author in dubio potius ille præsumitur, qui semel tale delictum commisit, quam ille, qui nunquam deliquit, & hoc tantum ad capiendam præsumptionem, quæ capitur ex quocunque motivo, ex quo capi potest, non autem ad infligendam poenam. De delicto vero futuro non præsumendum, quia nemo præsumitur immemor salutis æternæ. Quod si aliquando factum est, hoc per accidens, & de facto factum est, quod in considerationem trahi non debet.

§. IX.

Quod ad tertiam, dico, nemini licere summam potestatem impedire, quod minus subditos suos facinorosos puniat, quando delinquens in ejus potestate est, contra. Secus autem est, quando subditus ab ejus potestate factus substraxit; tunc enim non amplius est subditus, nullamque jus in eam priori competit potestatis alias sequeretur, hominem deteriores esse conditionis, quam cetera animalia fera; Hæc enim utique in dominio Dominorum suorum sint, si tamen ab ipsis aufugerint, eorum custodiam evaserint, ac proinde animum revertendi depulerint, eximuntur à dominio illorum, naturalem recuperant libertatem, & si ab aliis capiuntur, eorum sunt. *S. feræ Inst. de A. R. Dom. nec pristini domini possunt illi repetere.* Cur ergo deberet homo, cui certè plus, quam

quàm feris tribuendum, priori populo alligatus, transferre, nisi se aliò transferens ejus potestatem evaserit? Quò ad quantum denique concedimus ultro, quando justitia selectus homo mactatur, Deo gratam esse victimam; negamus autem sacrificium hoc à quocunque fieri posse; alias sequeretur deliquentem etiam à privato puniri, vel occidi posse, quod falsum est; nam poenam infligere nemo potest, nisi cui potestas est ratione jurisdictionis, & eminentis domini, quod extra territorium suum sibi planè non competit.

§. X.

Ex his omnibus patet, quòd summa potestas, sive populus à quò hunc fugitivum si repetat, possit populus ad quem sine offensa juris gentium illum repetenti denegare, quia nemo tenetur subditum suum, sicuti jam hic homo factus est, invitus à se dimittere, & ad ejus mortem sine ulla causa saltem per indirectum, aut permissivè concurrere. Non obstant Leges, & constitutiones de servis fugitivis, de hominibus propriis aliorum non detinendis &c. quia illa sunt leges Civiles, unius, vel alterius populi, aut summae potestatis, inter subditos, & Cives populi constituentis vigorem suum exercentes, quae juri Gentium prajudicare non possunt, nec alias potestates aequè summas, ac liberas ligare. Quin imò neque servis denegabatur olim asyllum, cum ad eadem sacram, vel ad statum principis confugerent. Hocque adeò verum est,

§. X.



ut ab origine mundi, ad nostra usque tempora inter populos morationes non aliter practicum sit, de quo si quidem faveret, innumera exempla possent afferri.

§. XI.

Hinc etiam patet, quod non sine ratione Ecclesia delinquentibus quibusdam præstat asylum, ne à privatis, vel etiam à seculari potestate ad mortem rapiantur. Quia tamen Ecclesia ab omnibus delictis generaliter & enixius abhorret, non omnibus delinquentibus asylum impertitur, sed his tantum, qui aliquo modo sese excusare possunt, uti sunt, homicidia, quæ aliquando in propriam defensionem perpetrantur, uti sunt fures sine re, frutiva, fieri enim potest, ut quis ab impudentia populi pro talibus clamose, confuse, ac sine justa causa inclamentur, cum tamen tales non sint; &c. Dummodo etiam Christiani sint, nam infidelibus non præstat asylum, dummodo quoque delictum non sit in ecclesia, vel in loco sacro commissum. Quotiescunque verò delictum tale est, ut nulla tergiversatione tegi, aut colorari possit, Ecclesia delinquenti non præstat asylum. Hujusmodi sunt Latrones, qui homines in via publica transeuntes occidunt; Nocturni depopulatores agrorum, Usurarii Manifesti, incendiarii, alique de quibus Canonistæ ad Decretul. de immun. Ecclesiarum.

§. XII.

Quæres an debitores pecuniarii, asylum habeant in templis, ne scilicet à Magistratu Civili ad carceres rapiantur?

tar? *Respo.* affirmative, quia in templis actus jurisdictionis, uti est citatio personalis, sive arrestum personæ in alieno territorio exerceri non potest; Atqui Templum, vel Monasterium est alienum territorium, & alienæ jurisdictionis à foro Civili distinctæ, ac separatæ; Ergò hujusmodi arrestatio ibidem à Magistratu Seculari exerceri non potest; Ergò debitores gaudent etiam in his locis beneficio asyli. Non obstat Rescriptum Cæsareum de dato Wiennæ 27. Julii anno 1711. ab Augustissima *Eleonora* Imperium post mortem Augustissimi *Josephi I.* in suis ditionibus administrante, quò cautum est, Decoctores quosdam non gaudere asylo; illud enim capitur de his Decoctoribus, qui dolosè Creditoribus suis fregerunt fidem, vel fraudarunt; Non autem de his, qui ex adversa fortuna in paupertatem lapsi, Carceris molestias, ac squalores fugiunt, quibus auxilium denegandum non est. Ut tamen etiam Decoctores non possint per vim, & armata manu à brachio seculari e loco Asyli extrahi, sed ab Episcopo, aut Superioribus Ecclesiasticis debeat Rectori Ecclesiæ, seu Monasterii Prælato præceptum impetrari, cui morem gerentes Decoctorem extradant; cui si parère reculent, poterunt ab Archiepiscopo, seu cur de jure competit, per censuras Ecclesiasticas ad obediendum cogi.

§. XIII.

Quæres denique, an in tali delicto ex quo delinquentes gaudent Asyli, in templis ac Monasteriis Catholicorum tantum Excommunicati, & non Catholici gaudeant asylo?

asylo? Res. quò ad Excommunicatos negative, quia cum per excommunicationem ejecti sint è numero fidelium, & ex gremio Ecclesie, non possunt ab Ecclesia patrocinium, & securitatem querere. De his, qui foris sunt, nihil ad nos, inquit Apostolus. Quod si tamen intrent Ecclesiam, & verè resipiscant, petantque legitimè absolutionem à Censuris, sicuti Ecclesia gremium nomini claudit, ità quoque gaudebunt Asylo, non obstante delicto commisso, quia in foro poli per legitimam pœnitentiam, & absolutionem remittitur peccatum. Sicuti enim Deus ipse non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat; Sic etiam Ecclesia Resipiscentibus nunquam gratiam suam denegat, sed ambabus manibus pœnitentes amplectitur, ità ut in articulo mortis cuilibet approbato Sacerdoti in omnibus casibus facultatem absolvendi, etiam à censuris ecclesiasticis, concedat.

§. XIV.

Quò ad non Romano-Catholicos, nullum est dubium, illos asylo in Catholicorum templis, ac monasteriis gaudere, quia vel sequuntur opinionem admittam in provincia, uti sunt Protestantes, & alicubi Reformati, & tunc, non potest ipsis Asylum denegari, cum enim ritè baptizati sint, ipso facto sunt Christiani, atque fidelibus annumerandi, fuerunt enim in gremio Ecclesie Catholicæ statim ac baptizati fuerunt, donec sese ab illa segregaverint ad aliam comunem transeuntes. Vel sequuntur opinionem novam contra sensum Ecclesie illam

lam pertinaciter defendentes, nec a populo toleratam, & tunc tandiu habentur pro Catholicis, donec denique sententia condemnationis & Excommunicationis in eos feratur, quô casu omni beneficio, privilegio, favore, ac jure, quô gaudent Orthodoxi, decidunt, ac proinde privantur etiam a sylo, tanquam excommunicati.

## De Legationibus.

### Titulus Tertius.

**A**d communicationem inter populos fovendam, colendamque, nullum aptius, aut commodius est medium, quam per Legationes, & Legatos, cùm scilicet una, vel plures personæ autoritate publica à populo, vel summa potestate libera ad populum, vel potestatem liberam negotii publici tractandi causâ mittuntur, ipsam, à qua mittuntur repræsentantes. Ad hoc igitur, ut quis verus sit Legatus, oportet ille sit missus à summa potestate, populo, seu Republicâ Libera, idest Superiorem non recognoscente ad Rempublicam æque Superiorem non recognoscentem; Alias non Legatus, Germanicè *Abgesandter*, oder *Botschaffter*, Hispanicè *Embaxador*, Italicè *Ambasciatore*, Gallicè *Ambassadeur*, sed alio nomine nuncupatur. Secundò Rempublicam, seu populum repræsentet, ita ut unus ille, vel illi plures totam Rempublicam, seu populum ablegantem juris intellectu ita repræsentent, ac si Respublica, seu totus Populus ablegans negotiaretur.

O

tio

tiò in negotio publico, idest vel unam tantum, vel utramque Rempublicam concernente, quia si negotium alicujus privati ageretur utut maxima persona in illa Republica foret, iterum Legati nomine insigniri non potest.

§. I.

Ut autem appareat, Personam missam verè Legatum propriè dictum esse, debet Legatus litteras Credentiales, aut Creditivas, uti vocant, populo ad quem exhibere, hisque personam suam legitimare; non enim asserere sufficit, sed probare assertum oportet, alias quislibet, & praesertim fraudulentus, dicere possent, se Legatos esse, cum tamen tales non essent, ac molestias utrique parti causare, & utramque decipere. Neè sufficiunt Litteræ quaeunque manu exarantur, sed ab eo, vel ab his debent saltem esse subscriptæ, qui summa potestate pollent. Maxime autem sigillo publico verè sint munitæ; Nam si falsum fuerit sigillum, literis solis non adhibenda fides, cum scripturam imitari facile sit, falsum autem sigillum non facile haberi, cum non nisi apud fidelissimum custodem publica auctoritate servari soleat.

§. II.

Praeterea Legatus regulariter magnifico cum apparatu, sumptuoso, ac splendido Comitatu comparere debet, cum enim summam potestatem, sive Majestatem repræ-

præsentet, ejusque vices gerat, debet Majestatem præferre, ut venerationem Principali suo debitam sibi conciliare. Hinc aliquis in Dignitate non mediocri constitutus erit, ut & caractere, meritis, & qualitatibus personalibus Legationi splendorem addat. Præstabit quoque majoris quàm minoris esse staturæ, quamvis enim verum sit: *Magnus Alexander corpore parvus erat;* & in deformi corpore, facieque sub horrida pulcherrimum quandoque animum latitare, ostenderunt satis Socrates, Æsopus, & alii, verissimum tamen est, quòd *Pulchrior in pulchro formosa in corpore virtus.* & externa venustas pulchritudinis Animi indicium est, uti Philosophorum Princeps memoriæ mandavit. Plura quidem observanda sunt, sed de illis hic nostrum non est differere, de quibus jam quam-plures tractârunt, inter quos non postremum tenet Locum *M. de Wicquefort dans son Ambassadeur, & ses fonctions* Quæremus igitur hîc tantùm quid juris sit de jure gentium quò ad personas Legatorum.

§. III.

Primum, ac præcipuum est, quòd Legatus inviolabilis sit. Hæc inviolabilitas importat, quòd nullâ sit afficiendus injuriâ ab illa summa potestate, ad quam missus est; Nam surrogatum sapit naturam ejus, cujus in locum surrogatum est; Atqui Summa Potestas ad quam nullam potest facere injuriam Potestati à qua, cùm hoc

repugnet juri naturæ, ac gentium; Ergò nec ejus Legatò, qui ejus in locum surrogatus est. Secundò Legati officium est Voluntatem, sensumque sui Principalis exponere, ac manifestare, cum sicuti in jure Civili, & inter privatos Advocatus dicitur *Os principalis*, exponit enim hujus voluntatem ac Desiderium, ita de jure gentium Legatus est *Os* sui principalis & vox illius, tanquam vox hujus habetur, cum non aliud loquatur, quàm quod habet in commissis; Atqui loqui, proponere voluntatem suam, vel alterius, idest sensa manifestare, facultas est naturalis, idè enim à Natura Loquela concessa est homini, ut conceptus mentis possit, cum voluerit, alteri manifestare; Igitur alter audire debet, vel si noluerit alterum ad loquendum non admittere, alius agit contra jus gentium, & naturæ.

§. IV.

Ampliatur Conclusio, Imò: ut non tantum hæc inviolabilitas habeat locum, si Legatus gratum quid proponat, Potestati ad-quam; Sed etiam si quid ingrati ex mandato sui principalis exponat, uti v. g. si reparationem damnorum exigat, si satisfactionem quærat, restitutionem ablatorum prætendat, bellum indicet &c. Nam adhuc inviolabilis erit, cum ille non ex se loquatur, sed ex mandato sui principalis, cui obedire debet, nec aliter agere possit, quàm ipsi mandatum sit. Cur igitur injuriam patiatur, qui fungitur officio suo, & jure sibi competenti utitur?

tur, quò casu nemini facit injuriam? Quòd propositio ejus Audienti non placeat non sibi, sed vel suo principali, vel ipsi audienti imputandum; Res autem inter alios acta tertio, præjudicare non potest. Quid? Siquid habet Potestas ad- quam, quòd conqueratur, potest æquè per Legatum alteri Potestati significare, qui æquè inviolabilis est, & absurdum foret, in baculum, vel in gladium sævire, quò quis percussisset, & contra omnem rationem in Legatum iram convertere, qui simplex instrumentum est, quo Principalis utitur ad Loquendum.

§. V.

Ampliatur conclusio, II<sup>dò</sup>: uthæc inviolabilitas intelligatur non tantum de persona, idest de individuo Legati, sed & de omnibus officialibus, ministris, servis, nunciis, & cursoribus; imò & de Comitibus illius, quia Legatio constituit corpus politicum, ita ut omnes in iplo comprehensi veniant ut partes hujus corporis, sicuti omnes in populo veniunt tanquam partes saltem integrales ipsius populi, & Legatus est tantum Caput Legationis, non ipsa Legatio; quin imò si casu fortuito, vel in itinere, vel in ipsa Urbe Potestatis ad- quam decedat, alter ejus vices suscipiat. Hinc solent ita Legationes componi, ut duo, vel tres unò alteri substitutò, Legatio nunquam deficiat, & si nullus ex illis supersit, Legationis Secretarius functiones recipit, utut honores, ac titulum sibi arrogare non possit. De Comitibus etiam dubitandum non est, dum-



modo approbante Legato ipsū concomitentur, sunt enim æquē sub protectione juris gentium, omnia siquidem nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impartimur.

§. VI.

Ampliatur III<sup>o</sup>: ut hæc inviolabilitas etiam ad res Legati, ac totius Legationis extendatur; Nam ejus juris est accessorium, cujus juris est principale, & non licet ea violando Legato auferre, sine quibus Legatus esse non potest. Quarum rerum defensio justā, earum ab aliis facta offensio injusta est, ac proinde si violentur, ipsi Legato injuria fit. Hinc Legati Equi, currus, naves, si quas habet, mobilia pretiosa, vel minus pretiosa, annona, uno verbo quidquid ad necessitatem, vel commoditatem Legati, & Legationis spectat, sub protectione juris gentium est; præcipuè numerata pecunia, quæ omnium vices sustinet, ac nervus rerum agendarum est, qua deficiente, deficiunt omnia, præsertim in exteris regionibus; Maximè verb scripturæ, regestra, libri rationum, memorialia, & similia, quæ communiter Cancellariæ nomine venire consueverunt.

§. VII.

Sed hic oritur quæstio, quid si Legatus quædam arcanâ Potestatis ad quam detexerit, & in scripturam redegerit, ut securius de his principalem suum informare possit, poteritne ad extradendas jujusmodi scripturas cogi?

Re-

☆ ( III. ) ☆

R. deo. Melius quidem foret, si Legatus illa memoria mandaret; sed quia ipse, non minus quam alius quilibet mortalitati obnoxius est, ita ut possit accidere, ne illa referre, ac manifestare possit, & scriptura est quidem fidele receptaculum eorum, quæ in illa continentur; Præterea memoria labilis est, & facile ex rerum farragine multa per oblivionem amittuntur, Legato non potest culpæ verti, quod illa in scripturam redegerit, cum nullum sit aptius medium ad memoriam juvandam. In proposita igitur quæstione distinguendum putamus, vel illa arcana respiciunt negotium suæ Legationis, vel non. Si prius ad illam scripturam extradendam cogi non potest; Non enim ejus est, sed sui principalis, cujus interest, omnium, quæ Legationem concernunt, notitiam exactissimam habere, ac certiozem fieri. Sin verò arcana illa non concernunt Legationem, distinguendum, vel nullum inferunt damnum Potestati ad- quam, vel præjudicium inferunt. Priori casu non potest ad extraditionem cogi, quia exceptio: *tua non interest*; omnem actionem excludit. Posteriori casu, iterum subdistinguendum, vel enim arcana illa illicite acquisivit, quod forsitan Ministros corrupit, vel vi coegerit ad Arcana manifestanda, vel clam surripuit, aut dolò malò aliter aucupavit, & tunc totest cogi ad illa extradenda, non quidem ut propterea puniri possit, sed ut restituat, & ad principalem puniendus remittatur. Sin verò licitis mediis idest per propriam, vel suorum industriam, vigilantiam, animique solertiam detexerit, non poterit cogi, & si cogatur, jus gentium

tium violatum erit, cùm alias Legati prudentiâ eligatur, qui omnem impendat operam, ut quantum licitè fieri potest, ea omnia observet, quæ si non hodiè, aliquando tamen possunt esse proficua.

## §. VIII.

Quid porrò si Legatus in Urbe vel in populo, ubi ut Legatus degit crimen aliquod commiserit, poterit ne à Potestate ad-quam propterea puniri? R<sup>de</sup>. ardua est questio, extant enim exempla pro, & contra. Quidquid alii teneant, nos distinguendum iterùm putamus. Vel Crimen immediatè offendit Rempublicam, vel tantùm aliquem ex privatis illius Reipublicæ. Si prius, ut quia v. g. statum Reipublicæ evertere, vel personam Principis è medio tollere conatus sit, aut de facto per se, vel per alios tollat, vel Hostes juvet, ipsis per suos modum, ac tempus invadendi, nocendique indicando, aut seditionem, seu tumultum excitando &c. & legitime convictus de crimine sit, ità ut nulla tergiversatione delictum colorare possit, tunc à Potestate ad-quam puniri potest: Ratio est, quia tali casu Legatus exuit personam Legati & induit personam hostis, contra quem quid non licet de jure gentium? & sicuti filius potest occidere parentem, si aliter vitam servare non potest, quia hujusmodi parens hostis fit, quapropter eximitur à protectione juris naturæ, quod personam parentum vult esse filiis sanctam, & inviolabilem, sic etiam Legatus, qui amicus esse præsumitur, & subami-

citiz

citæ tegmine hostiliter agat, non amplius ut amicus, sed ut hostis pœnis affici potest.

§. IX.

Nec distinguo, utrùm motu proprio, vel scitu, aut etiam approbatione, imò ex Mandato Principalis sui, crimen commiserit; Nam si motu proprio excedit fines mandati, cùm certum sit, in litteris credentialibus hujusmodi crimina non contineri, & etiam si alias litteras à suo Principali habeat de crimine perpetrando, Legatus parère non tenetur, cùm nulla humana potestas possit quem obligare ad violandum jus gentium, & naturæ, priusque Deo, cujus præceptum est jus naturæ, quàm hominibus obediendum, quidquid etiam ex hac inobedientia possit accidere, præstat enim innocenter pati, imò & etiam mori, quàm criminis atrocitatem committere. Certè Thomas Morus, immortalis memoriæ Angliæ Cancellarius vitam perdere, quàm aliquid contra justitiam, & conscientiam perpetrare, satius putavit.

§. X.

Sin verò crimen à Legato commissum immediatè inferat præjudicium alicui ex privatis, uti raptus virginum, adulterium, homicidium, aut (quod vix credibile) furtum, enorme tamen, quia leve dissimulandum, committat, tunc quidem à summa potestate offensi puniri non potest,

P

potest, quia per hujusmodi delicta non cessat esse Legatus, nec fit hostis Reipublicæ; Verùm ejus Revocatio domum petenda est à Potestate à qua, & læsi illuc, una cum litteris requisitorialibus mittendi, qui à Potestate, cui Reus subest, satisfactionem, ac legitimam vindictam petant, & obtineant. Æquum enim, & justum est, læsis satis fieri, eoque magis, quòd cùm in subditorum, aut Civium potestate non sit, impedire hujus, vel alterius Legati receptionem, non sint in culpa, potiùs enim illum honorificè habere, quàm de crimine perpetrando suspicari debent. De honesto, ac in tam eminenti dignitate constituto Viro, talia suspicari non licet.

§. XI.

Quid porrò, si Legatus grandem pecuniam mutuò acceperit, vel alio modo debita contraxerit, poteritne à creditoribus ad solutionem à Potestate ad quam cogi? <sup>R<sup>de</sup></sup> Vel ipse suscepit judicium per se, vel per procuratorem, & tunc, causâ cognitâ, potest in quantum de jure est ad solvendum condemnari. Quò ad executionem verò sententiz distinguendum est, nam si debita contracta fuerint in erogationem sumptuum in Legatione necessariorum, utpote in alimentatione sui, suorumque: Item pro Decore, ac honore sui Principalis, arbitrio boni viri æstimandis, tunc illa debent à principali præstari, nec pro his personæ Legati, aut eorum, qui Legato ab officiis, ac servitiis sunt arrestari possunt, sed à Republica, quæ Legationem misit, hujus-

hujusmodi sumptus ferendi, quia qui vult finem debet etiam media velle, sine quibus finis consequi nequit, & expensas necessarias persolvere. Quòd si Legatus pro suis voluptatibus, in lusu, aliisque non necessariis Legationi prodigalitatibus pecunias dissipaverit, poterit quidem finita Legatione cogi ad securitatem præstandam de debitis ex propriis bonis solvendis: Sin autem non habeat unde solvat, Creditores sibi net-ipsis facilitatem cum illo contrahendi debent imputare, cum meliùs conditionem ejus perscrutari debuissent. Quòd si planè judicium suscipere recuset, non potest ipsi propter debita violentia inferri, salvo quocunque jure partium apud ejus principalem agendi.

§ XII.

Quæres, utrùm Mulier illustris aliqua Legati munere fungi possit? R<sup>deò</sup>. absolutè loquendo, non video, cur non possit; pendet enim à libera voluntate ablegantis Potestatis, per quam personam sua negotia apud aliam summam potestatem tractari velit; & mulieres non minori prudentiâ, ac Virtute, quàm ipsi viri pollere possunt. De Honestate autem, nego: Quia mulieribus non licet, nec decet, virilia officia, uti procul dubio est Legatum agere, subire. 2<sup>dò</sup>: jam apud omnes gentes viri constituunt populum, seu Rempublicam; ergò viri, non mulieres debent populum repræsentare. 3<sup>tiò</sup>: Fœminæ, utit prudentissimæ, captionibus, ac fraudibus obnoxie sunt,

facile præstant fidem, ubi quandoque præstari non debet, vitiò inconstantia naturaliter laborant, timidæ sunt, ac ad malis, minisque resistendum minùs aptæ. E contra Legatus debet esse prudens, constans, circumspectus, fortis, ac impavidus, ut à nullo fortunæ ictu frangatur, minis, ac periculis imperterritus.

§. XIII.

Limitandam tamen putamus Conclusionem, si ulla daretur Respublica, quæ ex meris mulieribus constaret; tunc enim foemina convenientius, quàm masculus muliebrem populum repræsentaret. Quid enim si Libussa Bohemorum Princeps ad aliquam Reginam, seu Rem publicam legatos mittere debuisset, non video, cur Vlasta Legati munere fungi non potuisset. Limitatur 2<sup>do</sup>: ut Conclusio intelligatur de solemnè Legatione, secùs autem est, si mulier quædam Reipublicæ alicui benè affecta, vel quia fuisset ibidem nata, vel educata, vel amicos, aut consanguineos haberet, timens nè fortè bellum inter utrumque populum oriretur ad evitanda mala, & ad bonum utriusque partis promovendum de pace, vel de foedere ineundo, cum, vel sinè mandato tractare inciperet, & negotium ad optatum scopum perduceret, ut denique ad finem toti negotio imponendum Legatus mitteretur, qui solemnè pompa Legati munere fungeretur, ut non semel factum apud Wicquefort videre licet.

§. XIV. Quæ-

Quæres, an Legatus possit armata manu jura sua defendere? R<sup>de</sup>o. distinguendum est, vel in jure suo læditur à summa potestate ad-quam, vel ab aliquo tertio. Priori casu non potest, quia injuria non ipsi, sed Ableganti facta est, cujus propterea est illam vindicare, cum præsumendum justè sit, hoc jus ipsi principali in dubium vocari. Posteriori casu, vel ille tertius est persona publica, quia forsitan etiam Legatus alterius summæ potestatis, vultque sibi arrogare aliquam prærogativam in præjudicium Legati, hic potest armata manu jura, quæ sibi competunt, ut Legato defendere. Dixi, *quæ sibi competunt ut Legato*, quia si sibi tantum competunt ut privato, distinguendum; vel Res patitur dilationem, vel non. Si prius, debet potestatem Reipublicæ, ubi degit, adire, & ab ea jus sibi fieri exposcere. Si posterius, potest armatâ manu jura sua defendere, dummodo cum moderamine inculpatae tutelæ fiat, nè fines juris naturalis egrediatur, alias protectionem juris gentium implorare non posset.

## De Fœderibus.

### Titulus Quartus.

**P**er Legatos maximè ineuntur Fœdera inter Summas Potestates, Respublicas, aut Populos, ideòque cum in præcedenti de Legatis actum sit, non incongruè de Fœderibus hic agendum. Fœdus porro est contractus Con-



ensualis inter summas potestates. initus de ope sibi invicem praestanda. Dicitur *consensualis*, quia statim ac invicem convenerunt partes, contractus est perfectus, quanquam ejus implementum subsequi debeat, sicut inter privatos hujusmodi contractus statim perfecti sunt, ac contrahentes convenerunt, quamvis nulla res adhuc tradita sit.

§. I.

Quòd porrò Fœdera de jure gentium sint, ex eo patet, quòd concernant negotium populi, vel Reipublicæ ergà populum, aut Rempublicam, & apud omnes gentes perzquè observentur, ac practicentur. An autem inter contractus bonæ fidei numerandi sint, dubium non est, quia distinctio illa inter contractus bonæ fidei, ac stricti juris est inventum Subtilitatis Civilis de jure Romano, & non de jure gentium quod in omnibus bonam fidem exigit, prout etiam jus Romanum Contractus omnes consensuales bonæ fidei esse constituit. Ex quo sequitur, ità capienda esse Fœdera, ut judex, idest recta Ratio, quæ in his, quæ de jure gentium sunt, jure naturæ innixò, legitimus est judex, pro utraque parte benignam sequatur interpretationem, ità ut ex bono, & æquo non minus pro una, quàm pro altera parte, etiam in his, quæ expressa non sunt, judicet, & ut potius aliquid operentur, quàm ut otiosa sint. Ratio est, quia utriusque gratiâ contrahuntur, & nulla est ratio, cur potius in unam, quàm in alteram partem interpretatio fiat, uni potius, quàm alteri faveatur.

§. II. Quz-

## §. II.

Quæstio est hic, Utrum Vasallus, qui alias in suo Regno, aut Principatu Dominus absolutus est, possit cum alio principe, sive Republica majorem ad sui securitatem, inconsultis Dominò Directò, Fœdus inire? R<sup>deo.</sup> de fœdere contra Dominum directum non licere, dubium non est, quia contra juramentum fidelitatis, quò Vasallus ad defensionem, conservationem, & commoda directi Domini promovenda obstrictus est, immediatè peccaret, quò casu feloniam, uti vocant, committeret, ac feudo privari posset. Quæstio igitur procedit de fœdere cum tertio contra tertium inito, quò casu videretur dicendum non posse, & Ratio est, quia si damnum à tertio timeat, ad Dominum Directum recurrere debet, ut se contra hostem suum defendat, quòd si ille nolit, aut negligat Vasalli defensionem suscipere, tunc denique possit hic fœdus cum aliquo tertio inire. Et sicut inter privatos non potest Emphiteuta inire aliquem contractum in præjudicium Domini Directi, sic etiam Vasallus non potest inire fœdus, quod posset cedere in præjudicium Domini Directi.

## §. III.

Verius tamen putamus oppositum ità ut Domini Directi consensus nullatenus requiratur. Ratio, quia Vasallus omnem utilitatem ex feudo percipit, ac proinde omne quoque damnum subire debet, ita ejus est de feudi  
sui

defensione sollicitum esse, ac proinde de mediis necessariis illud conservandi in tempore cogitare, nè post vulneratam causam remedium inutiliter queratur. **Secundò** Directus Dominus nullum aliud jus habet, quàm Homagium, & promissum servitium exigendi; Igitur si hoc præstetur, non habet, quòd conqueratur, si Vassallus aliunde Salutem querat. **Tertiò** interest Directi Domini feudum conservari, quia si ab aliqua extranea potentia opprimatur vassallus, posset Victor planè homagium reculare, quia ubi arma prævalent, non ità stricte de jure tertii curatur, & forsitan Directus Dominus Victoris hujus viribus auctis resistere non posset: Igitur non potest improbare, quòd Vassallus principaliter, ac directò in sui commodum, secundariò verò, ac per indirectum Domino Directo prospiciat.

§. IV.

Ratio in contrarium allata nullius est raboris, quia naturaliter unicuique licet illis mediis uti, quæ sibi magis convenire existimat. Quid enim si Directus Dominus ipsum juvare nequeat, & periculum succumbendi instet? Ubi majus est periculum, ibi cautius agendum, & præstat prævenire, quàm præveniri. Quid si Vassallus prævideat Dominum Directum vana spe allectum, aut aliorum persuasionibus commotum, auxilium præstaturum non esse? Paritas Emphiteutz non valet, quia in Emphiteusi requiritur consensus domini, quando agitur de agri vectigalis aliena-

alienatione, non verò si agatur de ejus conservatione, uti fit in Feudo. Concedimus ultrò, quod si vasallus feudum alienare vellet, deberet Domini Directi consensum habere; interest enim hujus potius unum, quàm alium habere Vasallum, quæ suo tempore præstanda præstet, secùs autem est; quando de feudi conservatione agitur.

§. V.

Quæres, utrum liceat Potestati alicui Christianæ cum populo infideli fœdus inire? R<sup>deò</sup>. distinguendum est; Vel enim fœdus est contra populum Christianum, vel contra æquè infidelem. Priori casu planè non licet. Ratio, quia ex duobus malis minus esse eligendum, recta Ratio dicat; Atqui minus est in alium aliquid de bonis terrenis Christiano populo, utut hosti concedere, ac de jurè proprio remittere, pacem quocunque pacto comparando, quàm ab infidelibus auxilium quærere; Ergò huic illud præferendum. Minor probatur quia infideles introducere auxiliores; vel implorantes ab hostibus liberant, vel non. Si prius armorum suorum vi confisi, tot, tantaque prætendunt, ut denique vel in servitute redigant populum, quem juvârunt, vel planè laribus, sepulchrisque avitis spoliant, ejiciunt, ac ad interneccionem usque persequantur. Si non liberant ab hostibus, inutile illorum est auxilium, ac proinde imprudenter imploratum, ac injustè. Hujus Calamitatis non desunt exempla ex historiis, quæ uti satis nota; hùc afferre non est operæ prætium.

Q

§. VI. Poste-

§. VI.

Posteriori casu, cum scilicet, de fœdere cum infidelibus contra infideles ineundo agitur, non tantum Christianis licet, sed & valdè laudabile est, quia rationes, quæ priori casu militabant, hic cessant. Dixi *hic cessant*, quia si revera eadem subessent pericula, æquè non liceret, ut si v. g. de infidelibus in provincias Christianas introducendis ageretur, cum non tantum agatur de præjudicio populi fœdus ineuntis, sed & de damno, quod toti Christianitati posset aliquando provenire. Igitur oporteret, cum his infidelibus fœdus inire, qui ex altera parte hostem Christianorum invaderent, ita ut à fronte, & à tergo Hostis impeteretur, ac facilius vinci posset. Sic licet Romanorum Imperator, aut Russorum Monarcha, cum Persis, aut Sinis contra Turcas fœdus inire possent, ut hostis ex utraque parte laceffitus facilius ad pacem ineundam, & observandam inducatur.

§. VII.

Quæstio non minimi ponderis est, utrum populus, cujuscunque formæ Regiminis publici demum sit, inter duas potentiores Potestates positus possit cum utraque fœdus in alterutram aliquid in se molientem inire? Ponamus casum. Respublica Luccensis posset à Romano Pontifice, & à Magno Duce Hetruriz hostile quid prævidere, an possit cum utroque contra alterutrum fœdus inire?

Re-

R<sup>atio</sup>o. distinguendum est inter foedus defensivum, & offensivum. Primum licere affirmamus; non verò secundum. Ratio prioris est, quia de jure Naturæ, ac gentium licet modis omnibus propriæ conservationi, ac salutis consistere; Atqui modus optimus est sibi consulendi; si alter ex potentioribus alterius fortitudine, quasi validissimo propugnaculo intra fines suos contineatur. Secundò neuter conqueri potest de damno sibi illato, vel inferendo, quia foedus iniens tantum de damno evitando certat, quod certe non tantum licet, sed & favorabile est. Qui vult foedus hoc improbare vel pacem quaerit sua conservando, vel bellum aliena invadendo. Si prius; sua non interest, quicum foedus à tertio ineatur; Si posterius, æquum est, ac justum ab eo, qui posset invadi propugnaculum quodcumque sibi comparari, refertur enim ad incruentam defensionem.

§. VIII.

Aliud porrò est, si de foedere offensivo agatur, quia cum hoc tendat ad offensam, ac damnum utriusque inferendum, posset enim pacem ad libitum frangere, & potentiores foederatos ad invicem collidere, qui non nisi damnum ex inde reportarent, ac inquietæ Reipublicæ vires augere, ità ut & ipsis foederatis, vel simul, vel successivè posset evidens imminere periculum. Secundò certissimum est, eum, qui vult offensivè agere, hostem ejus esse, in quem offensivè agere intendit; Atqui cum hoste

Q2

nul-

nullum est foedus offensivum, cum ab hoste non sit sperandum auxilium; Ergo tali casu esset, & non esset hostis quod repugnat, cum inter esse, & nonesse reperitur repugnantia contradictionis. Ergo esset utriusque hostis, quia nullius esset amicus, qui enim cum inimico meo est, ille meus est etiam inimicus.

§. IX.

Quæres, an Foedus non ad certum tempus restrictum, perpetuò tenendum, ac observandum, sit? R. Vel eadem manent circumstantiæ, vel non. Priori casu manet Foedus in sua firmitate, quia sicuti ad certum tempus restrictum, post illud tempus amplius non subsistit, ita à contrario sensu, quod ad tempus restrictum non est, perpetuò durare, Rationi rectè judicanti consentaneum est: Præterea, quod cum ratione colligatum est, non debet sine ratione dissolvi; Atqui certè foedus cum aliqua, & quidem prægnanti ratione initum & colligatum est; igitur sine ratione dissolvi non potest. Non obstat, quòd foedus contractus sit consensualis, qui contrario consensu dissolvi potest; Nam hoc intelligendum est de mutuo consensu, non autem ex unius tantum parte. Nec opponatur, foedus tamen esse simile Societati, à qua etiam, altera parte invitâ, resilire licet; Nam similitudo claudit. Ratio differentiæ est, quòd in Societate agatur tantum de commodo unius, cui quocumque renunciari potest, nec alterius socii interest, habere, vel non habere locum, potest enim solus negotiari, & sibi soli acquire,

re

re luctum, vel alium socium querere; Ast in foedere interest utriusque, quò casu non potest unus in præjudicium alterius favori utrique competenti renunciare.

§. X.

Et ecce ratio, cur mutatis circumstantiis, alter invitus in foedere manere non teneatur, quia scilicet nova subest ratio, cur foedus ulterius subsistere non debeat; imò, circumstantiis mutatis, fieri potest, ut inutile, vel damnosum fiat foedus, quò casu justè à foedere licet recedere, cum omnis promissio de futuro semper intelligenda sit, rebus sic stantibus, quæ conditio de natura foederum est, ita ut etiam non expressa subintelligatur; & siquidem actus agentium non debet præter eorum intentionem procedere, ita nec in eum casum, in quo probabiliter, ac secundum rectam rationem foedus iniens sese non obligasset. Hæc tamen circumstantiarum mutatio, capi debet de circumstantiis essentialibus, prægnantibus, & quæ statum negotiorum mutant, non de his, quæ Rerum essentia non afferunt præjudicium. Sic Angli, qui foedus iniierant cum Serenissimo Carolo tertio Hispaniarum Rege ad hoc, ut pacifica Regni sui possessione poneretur, & conservaretur, Mortuo Josepho I. Romanorum Imperatore, Coroloque tertio ejus fratre in Imperatorem electo, à foedere recesserunt, cum hujusmodi Circumstantia essentialissima esset ad conservandum Equilibrium Europe. Hinc videmus quotidie inter Monarchas, & Respublicas alia, atque alia iniri foedera, prout scilicet prægnantes causæ subsunt, quæ à Circumstantiarum mutatione proveniunt.



Ex dictis supervenit quæstio, An mutata formâ pù-  
 bliçi Regiminis, fœdera prius inita maneant salvâ? Ut  
 ecce ponamus, Respublica Veneta habet fœdus cum Ser-  
 renissimo Archiduce Austriæ contra Turcas; fit (quod  
 tamen vix unquam sperandum) Monarchia; teneturne  
 Ille Rex stare fœderi cum Archiduce? Mutatio quidem  
 essentialis intervenit, multum enim interest inter Regnum,  
 & Rempublicam propriè dictam Aristocraticam, aut De-  
 mocraticam, unde videretur absolutè dicendum; Regem  
 illum non teneri stare fœderi. R deo. tamen distinguen-  
 dum esse, vel Rex ille jure belli subegit Rempublicam  
 vel Unanimi populi, seu Rempublicæ consensu in Regem  
 electus est. Priori casu non obligatur fœdere à Repu-  
 blica inito. Ratio, quia in Monarchia omnia pendem  
 à libera Voluntate Principis, ab ejus arbitrio, ac pruden-  
 tia Victoris, & potest quomodocumque sibi melius  
 æquius videbitur conservationi sui Regni providere, nec  
 quidquam habet à populo; sed omnia à Deo & arripit.  
 Posteriori casu, Rex ille de jure naturæ tenetur fœderi jam  
 antea inito stare, quia ita præsumitur in Regem assumptus,  
 ut Statum publicum in statu-quo conservet, ubi de bono  
 publico agitur; Atqui de bono publico agitur, ut potius  
 stet fœderi, quàm non, cum Austriaco inito; ergo debet  
 illud in statu-quo servare. Non obstat, quòd etiam hoc  
 casu summa Potestas in Principem translata sit; Nam in  
 in dubio translata censenda, ut in omnibus salus populi su-  
 prema

prema sit Lex, nec in damnum, sed in commodum publicum assumptus est.

§. XII.

Major quaestio est, An Archiduces Austriae Serenissimi eo casu foederi stare tenerentur? R<sup>deo.</sup> iterum sub distinctione, vel praevident, hoc foedus esse, vel esse posse sibi damnosum, vel non. Si prius, recta Ratio dicat, ne stetur foederi, quod ad eum casum devenerit, à quo incipere non potuisset, juxta naturam foederum, nisi sibi met ipsis damnum inferre vellent, quod contra dictamen rectae rationis foret. Si posterius, foederi standum esset, quia quod tibi non nocet, & alteri prodest facile concedendum, & cum utriusque partis favorem, ac utilitatem concernat negotium, non potest una pars resilire, quia quod semel placuit amplius displicere non potest. Sed inquires, quomodo igitur praevideri potest, foedus aliquando posse damnosum futurum esse? R<sup>deo.</sup> Si forsitan Rex illè praepotens fieret, ut subacto, vel everso Turcarum Imperio, etiam Regnum Hungariae sub aliquo, vel apparenti tantum praetextu, quod Victoribus, ac potentioribus nec novum, nec difficile est, invadere, ac ulterius victricia ferre arma posset. Sed de foederibus pro nunc satis.

De Bello.

Titulus Quintus.

**I**nter omnia jura, quae Populis competunt, procul dubio praecipuum est jus belli, quod scilicet quilibet populus

Ius superiorem non recognoscens, sive Summa Potestas in populo jus habeat bellum gerendi. Jus hoc de jure gentium est, quia inter omnes gentes peræquè custoditur. Est etiam de jure Naturæ quia vel est defensivum, & propriæ defensionis non tantum Ratio naturalis favet, sed & tota Natura. Vel bellum est vindicativum, sive Recuperativum, si vocare placet & sua non caret honestate, ac justitiâ, cum Summæ Potestates non alium agnoscant judicem, quam Deum, & eum. Ideoque aliquid hic, ut in summo digito de Bello tangendum; aliunde quam plures, ac doctissimi Viri de illo integra Volumina conscripserunt.

§. I.

Bellum per Ironiam ita dicitur, quia minimè bellum, seu pulchrum, est enim undique horrore circumdatum, tot, tanti que detestandis effectibus, & circumstantiis scædens, ut nisi legitima causa, & sine bono, qui pax est, concederetur, deformitatem præferret intolerabilem. Variè à Variis definitur. Nobis, quibus longæ definitiones non arrident, ita breviter illud definire placet: Summarum Potestatum juriû servandorum causâ, vi armata legitime suscepta concertatio. Dicitur *summarum Potestatum*: ut distinguatur à Duello, quod fit per subditos, ac privatos; item ab executione à summa potestate in subditos refractarios decreta, aut contra Pyratas; tunc enim non est bellum, nisi analogicè. Dicitur: *jurium*  
scr-

*servandorum causa*, ut comprehendatur bellum tam defensivum, quàm vindicativum, seu satisfactivum, in utroque enim casu partes jura sua servare contendunt; alias si absque ullo jure susceptum esset bellum, non esset bellum sed invasio, irruptio, aut quid simile, quod nomen belli non metetur.

§. II.

Dicitur *vi armata*; Nam belli non pugnatur voce, uti fit ad tribunalia, vel in disputationibus publicis, sed vi, & armis; hinc distinguitur etiam à Lucta, ubi vi quidem pugnatur, sed sine armis. Dicitur *legitimè suscepta*, idest servatis omnibus, quæ de jure gentium, & naturali servari oportet, alias non esset bellum, sed rebellio, tumultus, furor, ac barbaries; Barbari enim contra jura gentium, ac naturæ in eos, à quibus nullâ injuriâ affecti sunt, irruere, ac sævire consueverunt. Dicitur denique: *concertatio quasi simul certatio*, non autem *certamen*, seu *prælium*, hoc enim unicum importat actum, sed *certatio* totum belli tempus comprehendit, apparatus, varias operationes militares, velicationes, stratagemata, & etiam diuturnitatem belli, uno verbo *statum contentionis*; Sicque convenit definitio nostra cum Definitione Ciceronis, qui bellum asserit: *Contentionem per vim.*

R

§. III. Nunc

§. III.

Nunc ergò videndum est, quænam de jure gentium ad Legitimum bellum requirantur. In primis requiritur Denunciatio, five, uti olim Romani vocabant, Clarigeratio, quasi clara belli significatio, seu testatio, uti ait Reincking ex Livio, apud quos per Feciales fiebat, de quo Grotius, Knipschild, Gailus, & alii. Hodie variis modis fit, & fieri potest. Communiter tamen vel per Legatum, vel per Tibicinem autoritate publica, vel etiam per Litteras. In bello Schmalcaldico Saxo, & Landgravius Epistolam teli amento alligatam per Adolescentem, Tibicine concomitante, Cæsari in Castra miserunt, bellum ei denunciantes. Cæsar epistolam non accepit, latores tamen incolumes à se dimisit, uti dicitur in Compositione pacis ICTorum Deling. 1629. edit. cap. 3. q. 17. n. 9. & cum hæc diffidatio de jure naturæ, ac gentium sit, nè scilicet defensio auferatur, si omissa fuerit, non bellum, sed Latrocinium, & deprædatio dicitur. Knipschild ex L. hostes. 118. ff. de V. S.

§. IV.

Supponimus tamen, hanc Declarationem, seu denunciationem non fieri, nisi postquam modi pacifici, jura sua conservandi, vel præcesserint, vel saltem in ipso actu, Legatus Legitimè instructus, seu munitus, pacificam satisfactionem proponat. Sic apud Poetam Italicum, cum Saracenorum Legatus alter pacem proposuisset Christianorum

tianorum belli Duci, nec ab hoc acceptaretur, Argentes alter Legatus ait:

*Chi la pace non vuol la guerra s' habbia,  
Che penuria giamai non fu di risse.*

& Ratio est, quia quotiescunque remedia ordinaria superant, ad extraordinaria recurrendum non est. Unde Cuius in *L. Quidam Hiberns. ff. de S. R. P.* ait: *Volo ut de hac re cum Hiberno loquaris &c.* Deinde ex duobus remediis, semper mitius eligendum, utile præ damno, facile præ difficili, innoxium præ noxio. Igitur prius tentandum, an res per tractatus & conventiones componi possit, quam ad bellum, per quod non tantum Res, qua de agitur, sed & utriusque populi bona, & personæ periclitantur, & miriades ut plurimum hominum, & sæpissimè innocentes, desiderantur, Virgines, ac honestissimæ Matronæ violantur, imbelles trucidantur, vel in miseram servitutem rapiuntur. Hoc supposito.

§. VI.

Quæritur hinc, an aliquod concedendum sit hosti temporis intervallam? R<sup>deo.</sup> in hoc variè practicum fuisse. Gilhausen putat in *Arb. jud. Crimina. cap. 8. n. 2.* ad minimum tres dies concedendos. Romani, uti Livius notat. *lib. 1. spatium 33. dierum* interponebant, ut hostis quoque ad vim se præparare posset. Sed ipsimet Romani ab hac convenientia recesserunt, qui tertium bellum Punicum momento indictum, & illatum gesserunt,

R 2

teste

teste Appia: in Lybycis: Nos autem probabiliter putamus, vel est periculum in mora, vel non. Priori casu uno eodemque actu & Clarigatio, & illatio belli conjungi, ac fieri potest, dummodo tamen ita inferens bellum certus sit, nullam superesse spem alia via intentum finem obtinendi. Posteriori casu tale tempus hosti concedendum, quod moraliter sufficiat ad defensionem parandam; Alias non esset bellum, quia Clarigeratio inutilis foret. Non aded tamen longum spatium indulgendum, ut hostis formidabilis, ac invincibilis fiat, præstat enim prævenire, quàm præveniri, & uti ait Terent: *Tu quod cavere possis, stultum est admittere &c.* Igitur tota respiciet à Prudentia belligerantis partis, cum absque hoc ex apparatu belli, ex precedentibus actibus, gustisque possit altera pars prævidere, in quem bellum paratur.

§. VI.

Alterum, quod de jure Naturæ, ac gentium ad legitimum bellum requiritur est justa causa, id est jus aliquod competens. Verum non quælibet causa sufficit, sed debet esse gravis, necessaria, & evidenter justa. Hujusmodi causa est I si bellum suscipiatur ad recuperandam provinciam, civitatem, vel res alias debitas, quas alter restituere recusat. Sic David mortuo Saule contra Isboet filium Saulis occupantem thronum Davidi à Deo per Samuelem concessum, bellum movit. 2. Reg. 3. II. Ad reprimendam, ac puniendam subditorum Rebellionem con-

tra

tra suum Dominum. Sic idem David gessit bellum contra Absalonem filium. 3. Reg. 18. & contra Seba Bochri filium. ibid. 20. III ad vindicandam gravem contumeliam Principi, aut Republicæ illatam; Ita David contra Hanon, qui legatis suis barbæ partem abraferat, & medias vestes præciderat. ibid. 10. Alia exempla videtis apud Contzenium Polit. lib. 10. cap. 7. n. 1. IV ad ulciscendam injuriam à gente, quæ se cum hostibus jungens eis auxilium præbuit, illatam. 2. Reg. 8. V ad reprimendos eos, qui nocentes tuentur, & protegunt. exempl. vide Judic. cap. 20. VI ob violatum foedus. 4. Reg. 3. VII ad ferendum lociis, seu confœderatis auxilium. Sic Abraham succurrit Amorrhæo, quicum foedus inierat. Gen. 14. VIII ad juvandam partem ex duobus belligerantibus, quæ justam causam fovet. Sic Romani justè pugnantibus auxilium ferentes de acquisitis participarunt. Molin. disp. 103. XI. ad impetranda ea, quæ de jure gentium permilla sunt, si injustè denegantur, & similia.

§ VII.

Quæres igitur quanam sint Causæ injustæ bellum inferendi? R<sup>de</sup>o. quàmplures. I est, quàm Rationem status vocant, quando bellum suscipitur ad minuendam, vel impediendam crescentem justè alterius Principis, vel Republicæ, aut Populi potentiam, qui nullam fecit injuriam. Nam de jure Naturæ, ac gentium jus suum cuique illibatum debet esse; Atqui Potestati summæ jus est potentiam

R 3

suam



suam justè augendi; Ergò jus hoc illi auferendum, vel impediendum non est & sicuti privatus homo non potest alium privatum aggredi, quòd videat eum justè ad magnas opes, & majorem statum eniti; Ita neque Princeps potest alterum principem aggredi propterea quòd ille justè ad Majorem potentiam eveheat. Neque sufficit metus ex vicina potentia; Nam ille metus injustus est, ut enim justa sit defensio, oportet sit necessaria, qualis non est, nisi constet, non tantùm de potentia, sed & de animo lædendi & quidem ita constet, ut certum id sit, ea certitudine, quæ in morali materia locum habet, uti ait Grotius lib. 2. cap. 22. §. 5. Potest quidem Vicinus timens ea omnia parare, quæ ad incruentam defensionem faciunt, sed interim potentiam suam legitime augentem impedire non potest.

§. VIII

Injusta belli causa est II populi barbaries, & ineptitudo, cum scilicet idè bellum quis in populum barbarum, incultum, agrestem, ineptamque movet, quia talis est. Quamvis enim Aristoteles putet, dari homines, qui naturaliter servi, seu ad serviendum nati sunt, hoc tantùm intelligi potest de uno, vel altero individuo, non de integro populo. Ideò autem injustum est tali casu bellum, quia originem trahit à superbia, & arrogantia bellum inferentis, qui se omnibus aliis prudentiorem existimat, uti olim Græci Lydios, Sarmatos, Scythas, & Indos in potestatem redegerunt, ut se, uti sapientes, stultorum, uti putabant,

tabant, dominos efficerent. Utcunque enim populus comparativè ad alium minori prudentum numero refer- tus sit, habet nihilominus sufficientes prudentes, qui se- cundum patria instituta, & leges gubernent; Nam homi- nes utique sunt, quibus, sicuti aliis, sufficiens Rationis lu- men à Deo per naturam inditum est.

§. IX.

Injusta belli causa est III Cupiditas dominandi, aut acquirendi, uti de Magno Alexandro scribitur, qui plures orbes, quibus dominaretur desiderabat. Sic Xerxes cum ficus Atticas sup̄oritissimas degustasset, ideò movit bellum, ut eà terrà potiretur, quæ tam ivaves fructus produceret. Sic Longobardi in Pannonia cùm essent, auditò, Italiam pomis dulcibus, succulentâ carne, vino odorato abundare temperato Cælo, omnisque rei varietate frui, magnis agmi- nibus eò contenderunt. Contzenius: Ob solam domi- nandi libidinem Ninus bellasse scribitur, uti notat D. Au- gustinus lib. 4. cap. 6. de Civit. Dei, aliæque hujusmodi exempla penes historicos videre licet. Ratio injustitiæ est, quia nemo rebus alienis inhiare debet, cùm unicui- que jus suum illibatum esse recta Ratio dicitet. Alia plura de hac materia Theologis discutienda relinquimus.

§. X.

Quæres, an justa sit causa inferendi bellum Populo, per cujus territorium contra tertium populum justè belli- gerans

gerans exercitum ducit, transitus denegatus? R<sup>deci</sup>. disting.  
 Vel transitus ille concedenti damnosus haud est, vel da-  
 mnus ipsi aliquod infert. Si prius, denegari non potest,  
 per dictamen recte Rationis, quod sonat: *Quod tibi  
 non nocet, & alteri prodest facile concedendum.*  
 & probat Grotius de J. B. & P. lib. 2. cap. 2. §. 13. Ra-  
 tio est, quia de jure Naturæ, ac gentium innoxius transi-  
 tus rebus communibus annumerandus, quarum usus o-  
 mnibus hominibus competit, & si denegatur, petenti fit  
 injuria, quam à se propulsare potest. Sin verò transitus  
 damnosus futurus est, ut quia agri devastantur, vel exerci-  
 tus per vim alimenta in transitu sibi rapiat, vel bellum in-  
 justè gerat transitum quærens, vel quia qui debet conce-  
 dere sit fœderatus contrariæ partis, aut periculum sit, nè  
 concesso transitu in eo territorio sedes belli constitutur,  
 aut si transitum petens sufficientem non præstet cautio-  
 nem, eum innoxium futurum, & similia, justè denegari  
 potest, nec propterea jus gentium læditur, prius enim sibi  
 quam aliis quilibet de jure naturæ prospicere debet.

§. XI.

Tertium, quod ad justum bellum requiritur est le-  
 gitimus bellandi modus, idest ut eo modo bellum gera-  
 tur, quo de jure Naturæ, ac gentium geri consuevit. Huc  
 refertur I ut sine dolo malo bellum geratur, idest non pro-  
 ditorie, non Mendaciis, non fallaciis ad decipiendum,  
 quia veritas & fides etiam hosti servanda. II. Consuetis  
 modis.

modis nocendi Milites utantur, idest armis tam defensivis, quam offensivis, quibus, vel saltem non dissimilibus, etiam hostis utatur. Hinc non licet venenatis armis, sagittis, aut globis uti, quia non mors hostium principaliter intenditur, aut intendenda, sed victoria, quæ reportatur etiam quando tantum vulnerati sunt hostes. Hinc non licet puteos, vel aquas, quibus ad bibendum, aut cibos coquendos indigent veneno inficere, aut pestifera lue infectos sub ementito prætextu in illos immittere, nec venena sub specie medicaminum per subornatos, nec ficarios ad illos mittere, & similia.

§. XII.

Diximus tamen non licere *dolo malo* bellum gerere; Secus enim est si geratur *dolo bono*, idest si stratagemata in hostem adhibeantur. Stratagema enim est prudentia in hostem directa, à qua tamen, si æquè debitam prudentiam, & vigilantiam adhibeat præcavere potest. Igitur damnum, quod hostis exinde sentit, culpæ, ac supinæ facilitati suæ adscribendum, quò casu, non nisi de se conqueri debet. Præterea cum & ipse stratagemate uti possit, non potest alteri vitio vertere, quò eodem jure utatur, quò & ipsi uti licet. Itaque conqueri non potest, quò æquali modo pugnet hostis, quò ipse, si debitam prudentiam adhibuisset, æquè pugnare potuisset.

§. XIII.

Quartum, quod ad bellum justum requiritur est militariter, non immaniter in hostem sævire, idest ad reportandam

S

tandam victoriam, non ad barbaram inhumanitatem facturandam, non sanguinis humani aviditate, sed juris sui consequendi, aut conservandi desiderio. Hinc I non debet amplius ferire, vel occidere Hostes, postquam extra statum nocendi sunt, tunc enim non amplius hostes, sed tantum homines sunt, in quos non nisi inculpatæ defensionis causa viagere licet. Nec II in exercitum, vel populum ad internecionem usque furendum, nisi quibusdam casibus particularibus, qui in exemplum trahendi non sunt, uti si populus ille à Deo, vel Ecclesia ex summa potestate, maxima ob crimina Diris, ac morti damnatus sit, de quo in antiquo testamento aliquot exempla reperiuntur. III Milites vitam petentes potius in captivitate suscipiendi, quàm arma deponentes occidendi. IV. præsertim verò foeminis, Virginibus, Senibus, ægrotis, ac pueris innocentibus nullum damnum, nulla injuria inferenda; imò nec V Res corrumpendæ, ut victi Castris, aut Civitatis miseris habitantibus potius permaneant salvæ, quàm nec sibi, nec aliis destructæ profint. VI Agris, & Agriculis sine urgenti necessitate non noceant, & hoc non tantum favore hostium, quàm sui, nè fructibus terræ sublatis, ipsimet exercitus annonæ caritatem patiatur, & morbis ex contagio provenientius extenuetur. VII post pugnam sepeliantur, vel comburantur Cadavera, hoc enim ad Religionem spectat, quæ nunquam temnenda, & ad Aëris infectionem evitanda: Uno verbo induant beligerantes Virtutem bellicam, humanitatem autem non exuant.

§. XIV. Quæres

Quæres An in bello iusto liceat Civitatem obfidione cunctam militibus diripiendam tradere? R<sup>deo.</sup> affirmative. Ratio, quia post victoriam quæcunque hostis fuerunt, Victoris fiunt, de quibus ad libitum disponere potest; Atqui Dux belli Civitati diripiendam tradens, sub ea conditione bona in Civitate existentia militibus tradit, si per victoriam mea facta fuerint; Ergo hujusmodi traditio de jure licita est. Hoc tamen casu, jubeat hanc direptionem concedendo, & quidem severissime, ut ab omni scelere abstineant, quod contra Religionem, justitiam, ac Honestatem pugnat, & delinquentes, nullò personarum habitò respectu, justè puniat; Nam prædæ spe, ac desiderio alacriores, & audaciores redduntur Milites, nefandis autem criminibus non solum ira cœlestis incurritur, sed & corporum, viriumque vigor enervatur. In specie verò prohibeat nimiam ingurgitationem, ac ebrietatem, per eam enim etiam victores exercitus quandoque deleti sunt, uti de Cyri exercitu contra Tomyrim ex historiis proditum est. Absurdum autem est Civitates, aut munimina flammis tradere, quia tali pacto ipsimet Victori damnum infertur, cui omnia immobilia, & provinciæ acquiruntur. In quibusdam tamen circumstantiis, & casibus, si Victori nihil profuit, victo verò noceat, suâ id non caret justitiâ.

Quæres etiam, utrùm Repressaliæ licitæ sint? Præmittendum est, Repressalias te ipsâ nihil aliud esse, quàm actum

actum executivum, quò auctoritate summa potestatis subditi, seu milites terras eorum, qui injustè labrant, irvadunt, & incolarum, utut innocencium, bona occupant in compensationem damnorum, vel donec de damno illo lato satisfactio præstetur, desineantur. Hoc supposito, dico, Repressalias esse per se illicitas, quia scilicet contra jus Naturæ directè est, innocentes puniri, & poenæ suorum tantum tenere debent authores. Ex adjunctis tamen, & circumstantiis possunt fieri licitæ, saltem de jure gentium. Hujusmodi adjuncta sunt sequentes conditiones. I Manifestè constet, Cives alterius Reipublicæ fecisse injuriam, aut damnum, & quidem grave intulisse; dubium enim de bitum compensatione certa compensari, & levi injuriam acerbo, acrique modo vindicare non licet. II Debent satisfaci Authoritate summa Potestatis, sunt enim species belli quod privatis non licet. III debet constare, eos, qui damnum vel injuriam intulerunt, culpabiliter satisfactio nem recusare, aut Principem nolle urgere subditos suos ad satisfaciendum, hinc ille prius ad eundem. IV Non inferatur plus damni quàm justa satisfactio requirat.

§. XVI. De Repressaliis.

Sunt tamen quedam personæ, quæ ab hujusmodi Repressaliis exemptæ sunt. I Status Imperii Romano Germanici contra quorum subditos ab alio Imperii Statu Repressaliæ exerceri non possunt, ut patet ex praxi Cæmæ Imperialis, & Reces. Imp. de anno 1570. §. 84. II. Personæ Ecclesiasticæ, quia sub poenâ excommunicati onis

omnisque eas iure pontificio prohibitz sunt. *Repressaliaz*  
*cap. unic. de injur. in 6.* III Studioli, quando generaliter  
 conceduntur, quia hi sunt ab ordinario loci Magistratu,  
 & jurisdictione alieni, cum in eo non habeant domicili-  
 um; *Auth. habita. C. ne fil. pro parr.* IV Moniales &c.  
 Contra *Repressaliaz* videtur quidem facere cit. cap. unic.  
*de injur. in 6.* Ubi à Gregorio X. in Concil. Lugdun.  
*Repressaliaz* prohibentur; Sed capitulum illud capiendum  
 est de illis *Repressaliis*, que tunc temporis erant in usu, ad  
 quas non concurrebant illz conditiones, de quibus jam  
 locuti sumus. Vel de illis *Repressaliis* barbaris, ac inhu-  
 manis, cum scilicet in aliquod Oppidum, vel Civitatem  
 immitti Milites certum innocentium Civium numerum  
 sine ulla distinctione sexus, ætatis, aut conditionis truci-  
 dent, que quidem non tantum Civili, sed & Gentium, &  
 Naturali jure damnantur, cum nec ad aliquam damni repa-  
 rationem, nec cuiquam bono sint, sed tantum ad iræ, vel  
 rabiei concedentis satisfaciendum faciant.

§ XVII.

Accidit quandoque inter belligerantes inire induci-  
 as, quas vulgò *Treugas* vocant, quam denominationem  
 Germani à *Treu*, seu fide deducunt, alias *onstand.* *Spie-*  
*gel. in Lex. jur. Galli* verò à *Trêve* corruptè vocabulum  
*treuga* factum autumant; *Vallens. ad Decr. tit. de treuga;*  
 & *pace*, & nihil aliud sunt *induciz*, quam cessatio ab ar-  
 mis ad tempus. *glos. 5. DD. in cap. 1. eod. tit.* Varias  
 solent assignare *treuga* species; Sed hzc unica nobis est,



qua inter belligerantes cessatur ab armis propter aliquod negotium peragendum, puta ob cadavera sepelienda, captivos permutandos, militem novum legendum, vel etiam ob pacem tractandam. Tenentur igitur Belligerantes initas inducias sancte servare, nam qui fidem frangit iura omnia, & praesertim naturale violat. Hoc autem intelligitur, si & altera pars etiam servet, nam frangenti fidem fides frangatur eidem. *can. noli. caus. 23. q. 1.* & haec conditio *si altera pars pactis steterit*, est de Natura actus, ita ut intelligatur, etiam si expressa non fuerit.

§. XVIII.

Sed quæres, quid si unus, vel alter inducias violat ex una parte, tenebitur pars altera nihilominus inducias servare? R<sup>do</sup>. distinguendum est; Vel frangentes, sciente, ac permittente superiore suo fregerunt fidem, ut quia ipsis v. g. velitationem concesserit, vel non prohibuerit, cum sciret &c. Vel Superiore inscio induciis contraverunt. Priori casu, altera pars non tenetur stare pacto, per antedictam rationem, cum qui per alium facit, per se fecisse videatur, & qui potuit malum prohibere, & impedire, si non prohibeat, ipsemet mandasse, ac malum fecisse, vel saltem voluisse. Posteriori casu, altera pars tenetur stare promissis, quia petulantia, audacia, vel dolus unius aut alterius, non debet fidei publicæ prejudicare, & exigi potest, ut temerarius ausus ab illorum superiore debito modo puniatur. Quod si Superior ille Delinquentes punire noluerit, aut neglexerit tunc altera pars pacto stare non tenetur, De

De Pace.

Titulus Sextus.

**D**enique bellum non debet esse perpetuum; Nam tota Natura pacem potiùs, & quietem, quàm motum desiderat, appetit, quærit. Ad pacem acquirendam geritur bellum, est enim medium ad conservanda, vel recuperanda jura sua; obtento igitur fine, media, quæ antea fuerant necessaria, inutilia fiunt. Hinc induciarum tempore, de jure gentium, idest omnes populi inter se bellum gerentes solent pacem concludere, vel saltem proponere, de qua in præfenti.

§. I.

Pax ad propositum nostrum non incongruè defini potest: *concordia inter duos populos inter se belligerantes, fide publica firmata.* Dicitur: *concordia*, quia cum bellum sit inter discordes, pax necessario inter concordem esse debet, cum contrarium ea sit natura, ut unum alterum expellat. Dicitur: *inter populos*: idest inter summas potestates, quibus bellum gerere competit, nam ejus est destituere, cujus est constituere, cujus est contrahere, ejus est etiam distrabere. Et per hæc verba distinguitur pax inter summas potestates à pace in genere sumpta, quæ definitur: *Tranquillitas ordinis.* S. August. de Civit. Dei lib. 19. cap. 13. ubi ait: Pax corporis est ordinata temperatura partium: pax animæ irrationalis ordinata

nata requies appetitionum; Pax Animæ rationalis ordinata cognitionis, actionisque consensus: Pax corporis, & animæ, ordinata vita, & salus animantis: Pax hominis mortalis est Deo immortalis ordinata in fide sub æterna lege obedientia: Pax hominum ordinata concordia: Pax domus ordinata imperandi, atque obediendi concordia cohabitantium: Pax Civitatis ordinata imperandi, ac obediendi concordia Civium: Pax Cœlestis Civitatis ordinatissima, concordissima Societas fruendi Deo & invicem in Deo: Pax omnium rerum, tranquillitas ordinis: hæc ille; sed hæc subjectorum enumeratio, non est de essentia definitionis pacis, de qua hic sermo est.

§. II.

Dicitur denique: *Fide publica firmata*: Nam tota vis pactorum, seu contractuum inter summas potestates nullum aliud habet fundamentum quam fidem publicam, quam fallere est jus gentium, & naturæ violare. Hinc optimus ille Romanorum Imperator agebat: *Etiamsi Fides, intellige humana, toto exularet orbe, apud Imperatorem tamen asylum inveniret.* Quia nihilominus etiam Summæ Potestates homines sunt, de quorum fide adhuc dubitari posset, fortiori aliquo vinculo communiter ligantur, idest juramento, quasi Deo, qui supremus Rex Regum, & Dominans Dominantium est, ac Vindex Omnipotens violatæ fidei, promittant, ut eo sanctius promissa serventur. Et hoc quidem adeo verum est, ut quæcumque demùm promissa, servanda sint, dum-

modo non impossibilia; neque turpia fiat, quæ impossibilibus annumerantur, non minus propter temerariam promissionem, quàm propter turpitudinem ejus, qui talia exigit sibi promitti. Hæc ita tamen intelliguntur, stantibus prout stant, uti supra dictum est.

§. III.

Verùm hic quæritur, quid si Legati, aut Plenipotentarii, uti vocant, indecoram, aut damnosam inierint pacem, debetne summa Potestas, vel Princeps supremus, cujus vices Legati gerunt, stare contractui ab illis inito? R<sup>deo.</sup> sub distinctione: Vel Legati habent limitatum mandatum, vel illimitatum. Si prius vel pax est directò contra mandatum, vel non. Si contra mandatum, summa potestas non tenetur stare promissis, quia Legatus non repræsentat Principem, nisi quatenus est illi à principe commissum; Atqui contrahens contra expressum mandatum non repræsentat personam principalis, sed propriam, privati scilicet; Ergò principalem non obligat, cum subditus non solum principi, sed nec alii subdito absque ejus consensu, vel quasi-consensu præjudicare possit; Alteri enim per alterum iniqua conditio inferri non debet.

§. IV.

Sin verò Legatus illimitatum habet mandatum, tunc iterum distinguendum putamus, vel damnum illatum per pacem initam non excedit damna belli, vel excedit. Si non excedit, Principalis pacificationi initæ stare debet, quia hujusmodi-mandatum est mandatum cum libera, ita ut Legatus Plenipotentarius possit ea omnia facere, quæ

T

quæ ipse Principalis facturus fuisset, nec enim mandatum excedere dici potest, qui in commodum, & utilitatem principalis contraxit; Nam cum hic Legati prudentiam, & fidem sequutus sit, non potest non agnoscere acta, quæ jam, saltem tacite approbavit. Mandatum est bonæ fidei, ubi non est necesse omnia exprimi, & præsertim in negotiis publicis, ubi casus innumeri occurrunt, qui tempore mandati prævideri non poterant. Sin verò damnum per pacificationem à Legato Principali suo illatum damna belli excedit, tunc Principalis pacto à Legato inito, stare non tenetur, quia contra voluntatem ejus initum est, nec obtinetur finis propositus; Nam bellum gerens honorificam, & utilem pacem intendit; Non est autem talis, quando plus damni affert, quàm bellum ipsum attulisset, quod à Principali volutum præsumi non potest; cum nemo sibi malè velle credatur, tunc enim gereret contra dictamen rectæ Rationis. Et ecce Ratio, cur Summa Potestates aliquando approbaverint, aliquando verò pacem à Legatis initam improbaverint.

Quæritur ulterius, Utrùm Legatus, seu Plenipotentarius, qui cum hostibus damnosam pacem inivit, puniri possit? Respon. iterum distinguendo. Vel ex dolo, vel ex culpa peccavit. Si dolo, dubium non est, quin puniri, non tantum civiliter, id est ad resarciendum damnum illatum, si solvendo est (quod vix concipi potest) sed etiam criminaliter poterit; committit enim crimen læsæ majestatis, cum in eam summam potestatem peccet, cui subditus

tas est, & cui omne bonum procurare tenetur. Hinc boni illius omnia Filco vindicari possunt, & ipse poena mortis puniri, prout major, vel minor improbitas, utpote si pecunia corruptus, aut in odium Reipublicæ suæ, vel ex amore erga hostes, qui semper injustus est, tale quid commiserit. Servatò tamen juris ordine, concessis defensionibus, probationibus, ac exceptionibus de jure concedendis; Et quidem non tantùm ut malitia puniatur, sed & aliis in exemplum, nè unius impunitas delictis aliorum aperiat viam; interest enim Reipublicæ fideles habere ministros, quibus carere non potest, & ubi majus est periculum, ibi cautius est agendum.

§. VI.

Sin verò ex culpa peccaverit, aliter procedendum erit; Nam si ex lata, damnatum quidem resarcire tenetur, quia lata culpa ubi agitur tantùm de damno resarciendo, æquiparatur dolo, quò ad mortem tamen condemnari non potest, quia quò ad poenam mortis differentia ponenda est inter dolum, & culpam, utèr latam. Nihilominus negandum non est, juxta circumstantias etiam poenam aliquam criminalem infligi quandoque posse, uti est exauthoratio, carcer, exilium, Dignitatum, ac Honorum privatio &c. An etiam infamiâ puniri posset? etiam, si culpa valde crassa sit, & per carnificem aliquid injuriosum illatum, uti est gladii fractio ad faciem coram populo &c. Hinc si Reus aliâ culpæ specie peccaverit ad damnatum resarciendum justè condemnari poterit, non tamen ullâ ex prædictis poenis puniri, quia poena debet esse proportionata delicto, uti

esset culpa levis, & levissima, quæ regulariter est omisso  
 mediæ & summæ diligentia, quam quis in similibus adhi-  
 bere solet.

§. VII.

Alia iterum occurrit quæstio, An frangi possit pax  
 cum hoste inita, si hic socio populi, qui pacem inivit, bel-  
 lum inferat? R<sup>deo.</sup> quoque sub distinctione, vel enim So-  
 cietas, aut Confœderatio hæc erat jam inita, vel ex post-  
 facto contracta. Priori casu certè pax infringi, seu ad-  
 attendi potest, etiamsi de confœderatis nulla sit facta men-  
 tio in pacis instrumento. Ratio est, quia respectu exter-  
 norum duo populi juncti pro uno habendi sunt, unde  
 Ictus de Sociis ait, quòd sint quasi fratres *in L. 63. ff. pro  
 soc.* Nec obligatio ergà unum, scilicet hostem, per instru-  
 mentum pacis, contracta tollit, aut tollere potest obliga-  
 tionem cum alio antecedenter contractam. Insuper res  
 inter alios acta tertio, nec prodest, nec nocet. Non obstat,  
 quòd, uti supponitur, nihil in pacis instrumento de Sociis  
 actum sit, quia hujusmodi instrumentum, cum agatur de  
 bono publico, latè interpretandum est, ut non præjudicet  
 Confœderatis. Hoc tamen limitandum putamus, si foci-  
 us justam causam foveat, alias alter ex Confœderatis non  
 teneretur stare fœderi, cum nullum fœdus, nulla promissio  
 possit esse vinculum iniquitatis.

§. VIII.

Posteriori casu, cum scilicet post initam cum hoste  
 pacem fœdus cum alio populo initum est, qui pacem in-  
 vicit, non potest illam infringere, ut in fœderato populo, ab  
 alia

**I.** **Ab** illa parte bellum inferatur. Ratio, quia jus alteri parti  
 quæsitum, pars altera illi auferre non potest; Atqui hosti-  
 qui pacem inivit, est jam jus quæsitum ut alter pacem pro-  
 missam servet; Ergò non potest illi per posterius fœdus  
 cum alio initum auferri. **II.** Bona fides non patitur, ut  
 detur ansa, vel occasio decipiendi eum, qui bona fide con-  
 traxit; Atqui hostis bona fide pacem inivit; ergò per in-  
 directum, vel clanculariis fœderibus ipsi præjudicari non  
 debet. **III.** Actus Agentium non debet contra illorum  
 intentionem operari; Atqui non fuit hostis intentio dum  
 pacem iniret, sibi auferendi facultatem alii populo infe-  
 rendi bellum; Ergò non potest posterius fœdus hanc  
 ademptionem contra ejus intentionem producere.  
**IV.** Hostis pacem ineundo voluit ligare alterum populum  
 contrahentes, ne esset ulterius hostis; Atqui si per no-  
 vum fœdus liceret huic infringere pacem, pax illa nullum  
 produceret effectum, nec amplius subsisteret, cum tamen  
 semper illa potius interpretatio capienda sit, per quam  
 actus sustineatur, quam ut irritus sit; Ergò &c.

**IX.**  
**Contra** tamen videtur, quòd in omni contractu obli-  
 gatorio pars obligata quàm minimùm obligetur, & non  
 ultra; quàm in contractum comprehensum sit; Atqui in  
 nostro casu, populus tantùm obligatus est ad observandam  
 pacem cum hoste initam; Ergò non debet obligari ad non  
 ineundum fœdus cum alio. **II.** Jus gentium, ut inferius,  
 nequit, nisi inter volentes, restringere libertatem natura-  
 lem, quæ juris est Naturalis; Igitur per contractum pacis  
 non



non potest restringi, seu tolli facultas naturalis contrahendi ad libitum cum alio, cum hac expressa voluntate Contrahentium restricta non sit. III. Ubi cunque aliquod novum periculum emergit, vel ratio aliqua sufficiens supervenit, ibi pacta in aliis circumstantiis inita non ligant; Atqui novum emergit periculum; ne scilicet debilitato populo foederato aliis aperiatur via ad nocendum populo, qui pacem inivit; ergo potest novum foedus iniiri, ac propterea non teneatur pacem initam amplius servare.

§. X.

R<sup>deco.</sup> tamen ad I. Obligatio non extenditur ad aliud, quam ad pacem initam servandam; Ergo & ad nihil agendum, aut contrahendum, quod possit obstare huic pacis inite conservacioni; Atqui obstaret utique foedus ex post facto initum observacioni pacis, si per illud populus contrahens non teneretur pacem servare; Ergo per posterius foedus non potest se liberare ab observacione pacis, ad quam servandam per antierius pactum obligatus est. Ad II. dico, jus gentium non potest restringere libertatem naturalem, nisi inter volentes; Atqui in nostro casu hac libertas naturalis est restricta inter volentes; quia scilicet populus in eundo pacem, sese obligavit ad illam observandam, id est ad nihil agendum, quod huic pacis observacioni posset obstare; Ergo argumentum nihil probat. Ad III. dico; ubi cunque aliquod emergit periculum, pacta in aliis circumstantiis inita non ligant, si periculum sit evidens, imminens, & non pravisum, trahat; Secus autem est, si fuerit pravisum, aut praevideri potuit; tunc enim, qui

qui potuit praevidere periculum, & jus tali casu non servandi pacem sibi non reservavit, damnum quod ex hoc periculo sentire posset, non aliis, quam sibi debet imputare, ut discat cautius mercari.

§. XI.

Incidit hic iterum quaestio, utrum liceat uni ex duobus, vel pluribus confederatis populis, cum aliquo valido hoste bellum gerentibus, particularem inire pacem, sine sociorum interventu, ac assensu? R<sup>deo</sup>. Negative. Ratio, quia eodem modo, quod aliquid colligatum est, eodem etiam dissolvitur; Atqui foedus colligatum est consensu, omnium confederatorum; Ergo ab uno tantum dissolvi non potest. Quod autem hoc casu dissolvatur, vel potius frangatur fides foederis, particulari pace inita, dubitandum non est, nam non servatur, quod promissum est. II. quia hujusmodi foedus est tanquam contractus innominatus *facio - ut - facias*, vel *Do - ut - facias*. Atqui in tali contractu innominato non est locus poenitentiae re non integra, id est quando ab altera parte praestitum est, quod praestandum erat; Ergo non potest a foedere resilire, pacem particularem ineundo. III. Societas particularis in aliqua speciali negotiatione, seu negotio singulari non dissolvitur per voluntatem unius tantum partis, antequam negotium ad finem perductum sit; Atqui foedus v. g. in hoc bello est talis societas; ergo antequam bellum finitum sit dissolvi non potest. IV. Contra humanitatem, & honestatem, est inducere aliquem in periculum, ac deinde ipsum in periculo deserere; Atqui populus

pulus particularem pacem iniens induxit populum, vel populos foederatos in belli periculum, posteaque deserit illos in periculo; ergo agit contra honestatem, ac humanitatem; ergo hoc non licet, quia de jure gentium inspicitur non tantum quod utile, sed & quod de jure naturae honestum est.

§. XII.

Non obstat, quod in omni societate possit quilibet ex sociis quandocunque à societate recedere; Nam hoc verum est quod ad negotiationem futuram, non quod ad inceptam; sed debet continuare usque ad finem negotii, alias intempestive resiliens in omne damnum, & interesse alteri socio tenetur. Non obstat II. quod nemo teneatur proprio incommodo alterius commodum promovere, prima enim Charitas incipit à se ipso; Igitur sibillum sit populo foederato damnosum, non hic tenebitur continuare alteri auxilium prestare; Nam iterum hoc verum est, nisi fides, contractus, aut foedus praecesserit, tunc enim à libera voluntate pendet prestare, vel non prestare auxilium, promittere, vel non promittere; sed postquam promissum, standum est promissis, & fides servanda. Non obstat, quod aliquoties Principes etiam Christiani sic practicaverint; nam respondeo possem distinguere, sed tacebo. Hoc tantum dicam, non ab exemplis judicandum, nisi exempla dictamini recte Rationis innixa sint.

§. XIII.

Quaeres quam diu duret pax in perpetuum concepta? R<sup>de</sup>o. quandiu justa bellandi causa superveniat. Nam  
omnis

omnis promissio intelligitur: *rebus sic stantibus*. Nec conventio super præteritis concepta, præsumitur ita concepta, ut alteri liberam sit, alteram partem injuriis, aut damnis afficere in futurum, nè in unum finem inductum oppositum operetur. Nullus ignorat, ideo pacem iniri, ut alteri ab altero amice occurratur, nullum damnum, nulla injuria inferatur; Atqui si ob pacem initam deberet alter ab altero omnes injurias pati, pax operaretur oppositum ejus, ob quod colligata est. Ergo &c. Hujusmodi tamen injuria debet esse ponderosa, & publica auctoritate illata, per ea, quæ supra dicta sunt; alias non esset justa causa gerendi bellum, eoque minus pacem infringendi.

§. XIV.

Quæres, An mediator pacis ineunda inter duas summas Potestates belligerantes teneatur præstare guarandem, seu guarantiam, uti vocant, idest tacite fidejubeat, ac in se suscipiat, fore ut pacificatio à partibus servetur, & si una contra pactum venerit, se effecturum, ut eam parte lapsa conjunctis viribus, pars infringens pacem ad satisfactionem præstandam, & ad standum promissis cogatur? R. deo videtur affirmandum, quia regulariter in securitatem dantur obsides ex utraque parte, vel mediator se obligat loco obsidum ad guarandam, cum nullus alius detur modus efficacax reddendi securum, quam pignus, aut fidejussor; Igitur, si non dantur obsides in honorem mediatoris, ipse fidejussisse videtur. II. Qui svadet alicui ut Titio v. g. aliquid mutuò det, svadens obligatur, si accipiens fidem fallat, alias enim dans non dedisset, sicuti ad ductum recte

U

Rati-

Rationis à prudentissimis Romanis decisum est, quos fer-  
mè omnes populi saltem Europæi in hoc sequuti sunt.  
Atqui mediator s'vadet promittere in pacificatione con-  
tenta, alias partes non promississent; Ergò si alterutra illa-  
rum non steterit promissis tenebitur conjungere vires su-  
as cum parte læsa, ut lædens ad justam satisfactionem &  
ad standum promissis cogatur.

§. XV.

Nobis tamen negativa probatur. Primò, quia nul-  
la oritur obligatio, ubi non præcedit factum obligatorium,  
hoc est enim fundamentum omnium Legum, quæ obli-  
gationem producant, adeò ut si factum nullum præcedat,  
(quo nomine tamen etiam ommissio venit) nulla sit Lex  
obligans, quia nulla est obligatio; Atqui mediator ex nul-  
lo facto obligatorio obligatur ad efficiendum ut partes pa-  
cem inter se initam servent; Ergò ad guarandam non ob-  
ligatur, nisi expressè ad id se obligaverit. Major est in-  
fallibilis, quia *ex facto jus oritur*, uti communiter di-  
citur; Minor est clara, quia mediator nec agit factum pro-  
prium, nec se obligare intendit, nec agit aliquid, unde pa-  
cem ineuntibus damnum aliquod obveniat; imò agit, ut  
de ipsis magnum bonum obveniat, scilicet quies, ac tran-  
quillitas publica, cum omnibus emolumentis, & fructi-  
bus, qui pacem sequuntur.

§. XVI.

Secundò Officium suum nemini debet esse damno-  
sum, cum ex eo puniri non debeat, ad quòd aliquo jure  
tenetur; Atqui mediator functus est officio suo s'vaden-  
do,

do, & procurando pacem inter belligerantes; Ergò ex eo  
 damnum sentire non debet, ut molestias belli contra pacem  
 frangentem ferat. Quòd porrò mediator fungatur officio  
 suo patet, fungitur enim officio boni viri, dum populos  
 ad pacem inducit, ut hoc pacto conservetur socialitas in-  
 ter homines potius, quàm ut se invicem perimant. Ter-  
 tiò malitia unius non debet alteri nocere, recta enim Ra-  
 tio dicit, neminem obligari ex eo, quod à malitia alteri-  
 us, & extraneorum provenit; Atqui infractio pacis pro-  
 venit à malitia infringentis; Ergò mediatori nocere non  
 debet. Quarto nemo cogi potest ad præstandum auxili-  
 um, nisi pacto, aut vinculo aliquo speciali ad id obstructus  
 sit; Atqui mediator nullo speciali vinculo Societatis, aut  
 fœderis parti læsæ, uti supponitur, obstructus est; Ergò  
 non potest cogi, nec de jure naturali tenetur magno sui-  
 met incommodo, & periculo guarantiam præstare, aut  
 suscipere.

§. XVII.

Non obstant rationes dubitandi, quia prima non est  
 absolutè vera, possunt enim & obsides, & guarantia omitti,  
 cum detur tertia species securitatis, nempe *fides publica*;  
 imò & quarta, scilicet *juramentum*, quo promissa ser-  
 vanda sunt. Dico II. dantur obsides, aut Guarantia, si à  
 partibus exigantur, conc. secùs, neg. Cùm igitur in no-  
 stro casu nihil horum exactum fuerit, nihil debetur, cùm  
 partibus imputandum sit, quòd nullam securitatem quæsi-  
 yerint, aut reservaverint. Ad II. dico, Illud esse placitum

qua inter belligerantes cessatur ab armis propter aliquod negotium peragendum, puta ob cadavera sepelienda, captivos permutandos, militem novum legendum, vel etiam ob pacem tractandam. Tenentur igitur Belligerantes initas inducias sancte servare, nam qui fidem frangit iura omnia, & praesertim naturale violat. Hoc autem intelligitur, si & altera pars etiam servet, nam frangenti fidem fides frangatur eadem. *can. noli. caus. 23. q. 1.* & haec conditio *si altera pars pactu steterit*, est de Natura actus, ita ut intelligatur, etiam si expressa non fuerit.

§. XVIII.

Sed quæres, quid si unus, vel alter inducias violet ex una parte, tenebiturne pars altera nihilominus inducias servare? *Reso.* distinguendum est; Vel frangentes, sciente, ac permittente superiore suo fregerunt fidem, ut quia ipsis v. g. velitationem concesserit, vel non prohibuerit, cum sciret &c. Vel Superiore inscio induciis contravererunt. Priori casu, altera pars non tenetur stare pacto, per antedictam rationem, cum qui per alium facit, per se fecisse videatur, & qui potuit malum prohibere, & impedire, si non prohibeat, ipsemet mandasse, ac malum fecisse, vel saltem voluisse. Posteriori casu, altera pars tenetur stare promissis, quia petulantia, audacia, vel dolus unius aut alterius, non debet fidei publicæ præjudicare, & exigi potest, ut temerarius ausus ab illorum superiore debito modo puniatur. Quod si Superior ille Delinquentes punire noluerit, aut neglexerit tunc altera pars pacto stare non tenetur, De

De Pace.

Titulus Sextus.

**D**enique bellum non debet esse perpetuum; Nam tota Natura pacem potius, & quietem, quàm motum desiderat, appetit, quærit. Ad pacem acquirendam geritur bellum, est enim medium ad conservanda, vel recuperanda jura sua; obtento igitur fine, media, quæ antea fuerant necessaria, inutilia fiunt. Hinc induciarum tempore, de jure gentium, idest omnes populi inter se bellum gerentes solent pacem concludere, vel saltem proponere, de qua in præfenti.

§. I.

Pax ad propositum nostrum non incongruè definiri potest: *concordia inter duos populos inter se belligerantes, fide publica firmata.* Dicitur: *concordia*, quia cum bellum sit inter discordes, pax necessariò inter concordēs esse debet, cum contrariorum ea sit natura, ut unum alterum expellat. Dicitur: *inter populos*: idest inter summas potestates, quibus bellum gerere competit, nam ejus est destituere, cujus est constituere, cujus est contrahere, ejus est etiam distrabere. Et per hæc verba distinguitur pax inter summas potestates à pace in genere sumpta, quæ definitur: *Tranquillitas ordinis.* S. August. de Civit. Dei lib. 19. cap. 13. ubi ait: Pax corporis est ordinata temperatura partium: pax animæ irrationalis ordinata



nata requies appetitionum; Pax Animæ rationalis ordinata cognitionis, actionisque consensio: Pax corporis, & animæ, ordinata vita, & salus animantis: Pax hominis mortalis est Deo immortalis ordinata in fide sub æterna lege obedientia: Pax hominum ordinata concordia: Pax domûs ordinata imperandi, atque obediendi concordia cohabitantium: Pax Civitatis ordinata imperandi, ac obediendi concordia Civium: Pax Cœlestis Civitatis ordinatissima, concordissima Societas fruendi Deo & invicem in Deo: Pax omnium rerum, tranquillitas ordinis: hæc ille; sed hæc subjectorum enumeratio, non est de essentia definitionis pacis, de qua hic sermo est.

§. II.

Dicitur denique: *Fide publica firmata*: Nam tota vis pactorum, seu contractuum inter summas potestates nullum aliud habet fundamentum quam fidem publicam, quam fallere est jus gentium, & naturæ violare. Hinc optimus ille Romanorum Imperator agebat: *Etiamsi Fides, intellige humana, toto exularet orbe, apud Imperatorem tamen asylum inveniret.* Quia nihilominus etiam Summæ Potestates homines sunt, de quorum fide adhuc dubitari posset, fortiori aliquo vinculo communiter ligantur, id est juramento, quasi Deo, qui supremus Rex Regum, & Dominans Dominantium est, ac Vindex Omnipotens violatæ fidei, promittant, ut eo sanctius promissa serventur. Et hoc quidem adeo verum est, ut quæcumque demùm promissa, servanda sint, dum-

modo non impossibilia, neque turpia fiat, quæ impossibilibus annumerantur, non minùs propter temerariam promissionem, quàm propter turpitudinem ejus, qui talia exigit sibi promitti. Hæc ità tamen intelliguntur, stantibus prout stant, uti supra dictum est.

§. III.

Verùm hic quæritur, quid si Legati, aut Plenipotentarii, uti vocant, indecoram, aut damnosam inierint pacem, debetne summa Potestas, vel Princeps supremus, cuius vices Legati gerunt, stare contractui ab illis inito? R<sup>deo.</sup> sub distinctione: Vel Legati habent limitatum mandatum, vel illimitatum. Si prius vel pax est directò contra mandatum, vel non. Si contra mandatum, summa potestas non tenetur stare promissis, quia Legatus non repræsenterat Principem, nisi quatenùs est illi à principe commissum; Atqui contrahens contra expressum mandatum non repræsenterat personam principalis, sed propriam, privati scilicet; Ergò principalem non obligat, cùm subditus non solum principi, sed nec alii subdito absque ejus consensu, vel quasi-consensu præjudicare possit; Alteri enim per alterum iniqua conditio inferri non debet.

§. IV.

Sin verò Legatus illimitatum habet mandatum, tunc iterùm distinguendum putamus, vel damnum illatum per pacem initam non excedit damna belli, vel excedit. Si non excedit, Principalis pacificationi inita stare debet, quia hujusmodi mandatum est mandatum cum libera, ità ut Legatus Plenipotentarius possit ea omnia facere,

T

quæ

quæ ipse Principalis facturæ fuisset, nec enim mandatum excedere dici potest, qui in commodum, & utilitatem principalis contraxit; Nam cum hic Legati prudentiam, & fidem sequutus sit, non potest non agnoscere acta, quæ iam, saltem tacite approbavit. Mandatum est bonæ fidei, ubi non est necesse omnia exprimi, & præsertim in negotiis publicis, ubi casus innumeri occurrunt, qui tempore mandati prævideri non poterant. Sin verò damnum per pacificationem à Legato Principali suo illatum damna belli excedit, tunc Principalis pacto à Legato inito, stare non tenetur, quia contra voluntatem ejus initum est, nec obtinetur finis propositus; Nam bellum gerens honorificam, & utilem pacem intendit; Non est autem talis, quando plus damni affert, quàm bellum ipsum attulisset, quod à Principali volutum præsumi non potest; cum nemo sibi male velle credatur, tunc enim ageret contra dictamen rectæ Rationis. Et ecce Ratio; cur Summa Potestates aliquando approbaverint, aliquando verò pacem à Legatis initam improbaverint.

Quæritur ulterius, Utrùm Legatus, seu Plenipotentiarius, qui cum hostibus damnosam pacem inivit, puniri possit? Respon. iterum distinguendo. Vel ex dolo, vel ex culpa peccavit. Si dolo, dubium non est, quin puniri, non tantum civiliter, id est ad resarciendum damnum illatum, si solvendo est (quod vix concipi potest) sed etiam criminaliter poterit; committit enim crimen læsæ majestatis, cum in eam summam potestatem peccet, cui subdi-

inest, & cui omne bonum procurare tenetur. Hinc bonis illius omnia Filco vindicari possunt, & ipse poena mortis puniri, prout major, vel minor improbitas, utpote si pecunia corruptus, aut in odium Reipublicæ suæ, vel ex amore erga hostes, qui semper injustus est, tale quid commiserit. Servatò tamen juris ordine, concessis defensionibus, probationibus, ac exceptionibus de jure concedendis; Et quidem non tantum ut malitia puniatur, sed & aliis in exemplum, nè unius impunitas delictis aliorum aperiat viam; interest enim Reipublicæ fideles habere ministros, quibus carere non potest, & ubi majus est periculum, ibi cautius est agendum.

§. VI.

Si vero ex culpa peccaverit, aliter procedendum erit; Nam si ex lata, damnatum quidem resarcire tenetur, quia lata culpa ubi agitur tantum de damno resarciendo, æquiparatur dolo, quò ad mortem tamen condemnari non potest, quia quò ad pœnam mortis differentia ponenda est inter dolum, & culpam, ut et lata. Nihilominus negandum non est, juxta circumstantias etiam pœnam aliquam criminalem infligi quandoque posse, uti est exauthoratio, carcer, exilium, Dignitatum, ac Honorum privatio &c. An etiam infamiâ puniri posset? etiam, si culpa valde crassa sit, & per carnificem, aliquid injuriosum illatum, uti est gladii fractio ad faciem coram populo &c. Hinc si Reus aliâ culpæ specie peccaverit ad damnum resarciendum justè condemnari poterit, non tamen ullâ ex prædictis pœnis puniri, quia pœna debet esse proportionata delicto, uti

esset culpa levis, & levissima, quæ regulariter est omisso  
media & summa diligentia, quam quis in similibus adhi-  
bere solet,

§. VII.

Alia iterum occurrit quaestio, An frangi possit pax  
cum hoste inita, si hic socio populi, qui pacem inivit, bel-  
lum inferat? R<sup>de</sup>o. quoque sub distinctione, vel enim so-  
cietas, aut Confœderatio hæc erat jam inita, vel ex post-  
facto contracta. Priori casu certè pax infringi, seu ad-  
attendi potest, etiamsi de confœderatis nulla sit facta men-  
tio in pacis instrumento. Ratio est, quia respectu exter-  
norum duo populi juncti pro uno habendi sunt, unde  
ICtus de Sociis ait, quod sint quasi fratres *in L. 63. ff. pro  
sec.* Nec obligatio erga unum, scilicet hostem, per instru-  
mentum pacis, contracta tollit, aut tollere potest obliga-  
tionem cum alio antecedente contractam. Insuper res  
inter alios acta tertio, nec prodest, nec nocet. Non obstat,  
quòd, uti supponitur, nihil in pacis instrumento de Sociis  
actum sit, quia hujusmodi instrumentum, cum agatur de  
bono publico, late interpretandum est, ut non præjudicet  
Confœderatis. Hoc tamen limitandum putamus, si soci-  
us justam causam foveat, alias alter ex Confœderatis non  
teneretur stare fœderi, cum nullum fœdus, nulla promit-  
sio possit esse vinculum iniquitatis.

§. VIII.

Posteriori casu, cum scilicet post initam cum hoste  
pacem fœdus cum alio populo inutum est, qui pacem in-  
vit, non potest illam infringere, ut in fœderato populo, ab  
alia

**III.** **Ab** illa parte bellum inferatur. Ratio, quia Jus alteri parti  
 quæsitum, pars altera illi auferre non potest; Atqui hosti-  
 qui pacem inivit, est jam jus quæsitum ut alter pacem pro-  
 missam seruet; Ergò non potest illi per posterius fœdus  
 cum alio initam auferri. **II.** Bona fides non patitur, ut  
 detur ansa, vel occasio decipiendi eum, qui bona fide con-  
 traxit; Atqui hostis bona fide pacem inivit; ergò per in-  
 directum, vel clanculariis fœderibus ipsi præjudicari non  
 debet. **III.** Actus Agentium non debet contra illorum  
 intentionem operari; Atqui non fuit hostis intentio dum  
 pacem iniret, sibi auferendi facultatem alii populo infe-  
 rendi bellum; Ergò non potest posterius fœdus hanc  
 ademptionem contra ejus intentionem producere. **IV.** Hostis pacem ineundo voluit ligare alterum populum  
 contrahentes, nè esset ulterius hostis; Atqui si per no-  
 vum fœdus liceret huic infringere pacem, pax illa nullum  
 produceret effectum, nec amplius subsisteret, cum tamen  
 semper illa potius interpretatio capienda sit, per quam  
 actus sustineatur, quam ut irritus sit; Ergò &c.

§. IX.

**Contractum** tamen videtur, quòd in omni contractu obli-  
 gatorio pars obligata quàm minimùm obligetur, & non  
 ultra; quàm in contractum comprehensum sit; Atqui in  
 nostro casu, populus tantùm obligatus est ad observandam  
 pacem cum hoste initam; Ergò non debet obligari ad non  
 ineundum fœdus cum alio. **II.** Jus gentium, ut inferius,  
 nequit, nisi inter volentes, restringere libertatem natura-  
 lem, quæ juris est Naturalis; Igitur per contractum pacis-

non potest restringi, seu tolli facultas naturalis contrahendi ad libitum cum alio, cum hac expressa voluntate Contrahentium restricta non sit. III. Ubi cunque aliquod novum periculum emergit, vel ratio aliqua sufficiens supervenit, ibi pacta in aliis circumstantiis inita non ligant; Atqui novum emergit periculum, ne scilicet debilitato populo foederato aliis aperiatur via ad nocendum populo, qui pacem inivit; ergo potest novum foedus iniri, ac propterea non teneatur pacem initam amplius servare.

§. X.

R<sup>de</sup>o. tamen ad I. Obligatio non extenditur ad aliud, quam ad pacem initam servandam; Ergo & ad nihil agendum, aut contrahendum, quod possit obstare huic pacis inite conservacioni; Atqui obstaret utique foedus ex post facto initum observacioni pacis, si per illud populus contrahens non teneretur pacem servare; Ergo per posterius foedus non potest se liberare ab observacione pacis, ad quam servandam per anterius pactum obligatus est. Ad II. dico, jus gentium non potest restringere libertatem naturalem, nisi inter volentes; Atqui in nostro casu hac libertas naturalis est restricta inter volentes; quia scilicet populus incundo pacem, sese obligavit ad illam observandam, id est ad nihil agendum, quod huic pacis observacioni posset obstare; Ergo argumentum nihil probat. Ad III. dico, ubi cunque aliquod emergit periculum, pacta in aliis circumstantiis inita non ligant, si periculum sit evidens, imminens, & non praevisum, transeat; Secus autem est, si fuerit praevisum, aut praevideri potuit; tunc enim,  
qui

qui potuit praevidere periculum, & jus tali casu non servandi pacem sibi non reservavit, damnum quod ex hoc periculo sentire posset, non aliis, quam sibi debet imputare, ut discat cautius mercari.

§. XI.

Incidit hic iterum quaestio, utrum liceat uni ex duobus, vel pluribus confederatis populis, cum aliquo valido hoste bellum gerentibus, particularem inire pacem, sine sociorum interventu, ac assensu? R<sup>deo</sup>. Negative. Ratio, quia eodem modo, quod aliquid colligatum est, eodem etiam dissolvitur; Atqui foedus colligatum est consensu, omnium confederatorum; Ergo ab uno tantum dissolvi non potest. Quod autem hoc casu dissolvatur, vel potius frangatur fides foederis, particulari pace inita, dubitandum non est, nam non servatur, quod promissum est. II. quia hujusmodi foedus est tanquam contractus innominatus *facio - ut - facias*, vel *Do - ut - facias*. Atqui in tali contractu innominato non est locus poenitentiae re non integra, id est quando ab altera parte praestitum est, quod praestandum erat; Ergo non potest a foedere resilire, pacem particularem ineundo. III. Societas particularis in aliqua speciali negotiatione, seu negotio singulari non dissolvitur per voluntatem unius tantum partis, antequam negotium ad finem perductum sit; Atqui foedus v. g. in hoc bello est talis societas; ergo antequam bellum finitum sit dissolvi non potest. IV. Contra humanitatem, & honestatem, est inducere aliquem in periculum, ac deinde ipsum in periculo deserere; Atqui populus



pulus particularem pacem iniens induxit populum, vel populos foederatos in belli periculum; posteaque deserit illos in periculo; ergo agit contra honestatem, ac humanitatem; ergo hoc non licet, quia de jure gentium inspicitur non tantum quod utile, sed & quod de jure naturae honestum est.

§. XII.

Non obstat, quod in omni societate possit quilibet ex sociis quandocunque à societate recedere; Nam hoc verum est quod ad negotiationem futuram, non quod ad inceptam; sed debet continuare usque ad finem negotii, alias intempestive resiliens in omne damnum, & interesse alteri socio tenetur. Non obstat II. quod nemo teneatur proprio incommodo alterius commodum promovere, prima enim Charitas incipit à se ipso; Igitur sibellum sit populo foederato damnosum, non hic tenebitur continuare alteri auxilium prestare; Nam iterum hoc verum est, nisi fides, contractus, aut foedus praecesserit, tunc enim à libera voluntate pendet prestare, vel non prestare auxilium, promittere, vel non promittere; sed postquam promissum, standum est promissis, & fides servanda. Non obstat, quod aliquoties Principes etiam Christiani sic practicaverint; nam respondeo possem distinguere, sed tacebo. Hoc tantum dicam, non ab exemplis judicandum, nisi exempla dictamini recte Rationis innixa sint.

§. XIII.

Quaeres quam diu duret pax in perpetuum concepta? R<sup>deco</sup>. quandiu justa bellandi causa superveniat. Nam  
omnis

omnis promissio intelligitur: *rebus sic stantibus*. Nec conventio super præteritis concepta, præsumitur ita concepta, ut alteri liberum sit, alteram partem injuriis, aut damnis afficere in futurum, nè in unum finem inductum oppositum operetur. Nullus ignorat, idèd pacem iniri, ut alteri ab altero amicè occurratur, nullum damnum, nulla injuria inferatur; Atqui si ob pacem initam deberet alter ab altero omnes injurias pati, pax operaretur oppositum ejus, ob quod colligata est. Ergò &c. Hujusmodi tamen injuria debet esse ponderosa, & publica autoritate illata, per ea, quæ supra dicta sunt; alias non esset justa causa gerendi bellum, eoque minus pacem infringendi.

§. XIV.

Quæres, An mediator pacis ineundæ inter duas summas Potestates belligerantes teneatur præstare guarandem, seu guarantiam, uti vocant, idèst tacitè fidejubeat, ac in se suscipiat, fore ut pacificatio à partibus fervetur, & si una contra pactum venerit, se effecturum, ut cum parte læsæ conjunctis viribus, pars infringens pacem ad satisfactionem præstandam, & ad standum promissis cogatur? R. *de* videtur affirmandum, quia regulariter in securitatem dantur obsides ex utraque parte, vel mediator se obligat loco obsidum ad guarandam, cum nullus alius detur modus efficacax reddendi securum, quàm pignus, aut fidejussor; Igitur, si non dantur obsides in honorem mediatoris, ipse fidejussisse videtur. II. Qui svadet alicui ut Titio v. g. aliquid mutuò det, svadens obligatur, si accipiens fidem fallat, alias enim dans non dedisset, ficuti ad ductum rectè

U

Rati-

Rationis à prudentissimis Romanis decisum est, quos fer-  
mè omnes populi saltem Europæi in hoc sequuti sunt.  
Atqui mediator s'vadet promittere in pacificatione con-  
tenta, alias partes non promississent; Ergò si alterutra illa-  
rum non steterit promissis tenebitur conjungere vires su-  
as cum parte læsa, ut lædens ad justam satisfactionem &  
ad standum promissis cogatur.

§. XV.

Nobis tamen negativa probatur. Primò, quia nul-  
la oritur obligatio, ubi non præcedit factum obligatorium,  
hoc est enim fundamentum omnium Legum, quæ obli-  
gationem producant, adeò ut si factum nullum præcedat  
(quo nomine tamen etiam ommissio venit) nulla sit Lex  
obligans, quia nulla est obligatio; Atqui mediator ex nul-  
lo facto obligatorio obligatur ad efficiendum ut partes pa-  
cem inter se initam servant; Ergò ad guarandam non ob-  
ligatur, nisi expressè ad id se obligaverit. Major est in-  
fallibilis, quia *ex facto jus oritur*, uti communiter di-  
citur; Minor est clara, quia mediator nec agit factum pro-  
prium, nec se obligare intendit; nec agit aliquid, unde pa-  
cem ineuntibus damnum aliquod obveniat; imò agit, un-  
de ipsis magnum bonum obveniat, scilicet quies, ac tran-  
quillitas publica, cum omnibus emolumentis, & fructi-  
bus, qui pacem sequuntur.

§. XVI.

Secundò Officium suum nemini debet esse damno-  
sum, cum ex eo puniri non debeat, ad quòd aliquo jure  
tenetur; Atqui mediator functus est officio suo s'vaden-  
do,

do, & procurando pacem inter belligerantes; Ergò ex eo damnnum sentire non debet, ut molestias belli contra pacem frangentem ferat. Quòd porrò mediator fungatur officio suo patet, fungitur enim officio boni viri, dum populos ad pacem inducit, ut hoc pacto conservetur socialitas inter homines potius, quàm ut se invicem perimant. Tertio malitia unius non debet alteri nocere, recta enim Ratio dicit, neminem obligari ex eo, quod à malitia alterius, & extraneorum provenit; Atqui infractio pacis provenit à malitia infringentis; Ergò mediatori nocere non debet. Quarto nemo cogi potest ad præstandum auxilium, nisi pacto, aut vinculo aliquo speciali ad id obstrictus sit; Atqui mediator nullo speciali vinculo Societatis, aut fœderis parti læsæ, uti supponitur, obstrictus est; Ergò non potest cogi, nec de jure naturali tenetur magno suimet incommodo, & periculo guarantiam præstare, aut suscipere.

§. XVII.

Non obstant rationes dubitandi, quia prima non est absolutè vera, possunt enim & obsides, & guarantia omitti, cum detur tertia species securitatis, nempe *fides publica*; imò & quarta, scilicet *juramentum*, quo promissa servanda sunt. Dico II. dantur obsides, aut Guarantia, si à partibus exigantur, conc. secùs, neg. Cùm igitur in nostro casu nihil horum exactum fuerit, nihil debetur, cùm partibus imputandum sit, quòd nullam securitatem quaesiverint, aut reservaverint. Ad II. dico, Illud esse placitum

juris Civilis Romanorum, quod inter populos non attenditur; Bene autem illud hoc jure attenditur, quod quilibet possit, ac debeat apud se perpendere, utrum bene, vel male pecuniam suam collocet; Deinde Jus Romanum loquitur in eo Casu, quod alter alias daturus non fuisset, quod hinc præsumi non potest, cum pax iniverit absque guarantee ideòque initurus erat, alias exegisset, antequam pacem concluderet.

§. XVIII.

Unum hinc adhuc superest querendam, quis frangat pacem, qui bellum incipit, an verò qui causam bello dedit? R<sup>deo</sup>. dist. Vel pars læsa amicabiliter satisfactionem quaesivit, vel non. Priori casu, Pars, quæ dedit causam bello, pacem fregisse dicenda est, quia non pacificè, sed hostiliter agendo contra pacem venit, quæ omnia pacificè fieri vult. Secundò semper pro authore rixæ ille habendus est, qui causam rixæ dedit; Nam si non offendisset alter non fuisset ad defensionem coactus; hinc mitius agitur cum provocato, quàm cum provocante, quia aliquantum justo dolori parcendum est. Inò Tertio in omnibus initium attenditur, ac attendendum est, quia, si hoc non fuisset, cætera sequuta non fuissent, quæ tanquam sequelæ suam originem, & tanquam effectus suam causam sequuntur; Ac proinde cum causam dederit, nec pacificè rem componere voluerit, meritò pro infractore pacis habendus est.

§. X.

Posteriori verò casu, quando scilicet Pars secundum  
opini-

optionem suam læsa media pacifica non tentat, sed statim ad bellum convolat, sine dubio pacem fregisse dicenda est. Ratio, quia læsio potest provenire ex dolo, ex culpa, vel ex casu fortuito; Atqui priusquam in hostiles actus prorumpatur, examinandum est, an Læsio actus hostiles mereatur, necne. Si meretur, pars lædens fregit pacem, quia non egit pacificè; Si non meretur, pars læsa conqueri non potest, quia formaliter Læsa non est; ergò prorumpens in actus hostiles fregit pacem, quam servare tenebatur. Secundò contra omnem rationem est, ab executione processum incipere, quapropter utriusque partis jura, vel per Commissarios, vel Arbitros electos, examinanda sunt, ut jus suum unicuique illibatum sit. Ergò si statim bellum incipiat, non audita altera parte in rationibus, ac exceptionibus suis, pacem primus fregisse dicendus est.

§. XX.

Quæritur denique, An populus, aut Monarcha divini belli molestias, damna, & incommoda fastidians petendo, seu proponendo pacem, cum nullus adest mediator, honori, Dignitati, ac Majestati suæ inferat præjudicium? R<sup>deo</sup>. Negativè, nec distinguo, utrum fortior, an debilior sit. Ratio est, quia proponere, vel etiam petere pacem nullam involvit moralem turpitudinem; Atqui quod turpe, aut inhonestum non est, non lædit honorem, Dignitatem, aut Majestatem agentis; Ergò petens pacem honorem non lædit. Il Bonum præ malo, imò optimum præ pessimo eligere, honori non præjudicat, cum sit actus virtutis, ac sublimis Prudentiæ; Atqui eligere pacem præ

bello, est eligere optimum præ pessimo, est actus virtutis, ac Prudentiæ; Ergò minimè honori, Dignitati, ac Majestati præju licat. III. Nullus actus humanus, qui favet socialitati inter homines, est indecorus, est enim secundum dictamen rectæ Rationis, quæ socialitatem inculcat; Atqui pacem querere, proponere, & petere est actus promovens socialitatem inter homines; Ergò nec indecorus est, nec Majestatem lædit, aut illi præjudicat.

§. XXI.

Non obstat I, quòd quicumque recusat pugnare, in puncto honoris communiter pro vili, & abjecto reputatur, & quidem de jure gentium, cum id peræquè apud omnes gentes observetur, & custodiatur. Atqui petens pacem recusat pugnare, mavult enim non pugnare in pace Domi, quàm pugnare belli; Ergò in puncto honoris pro vili, & abjecto reputabitur, quod certè honorem, dignitatem, ac Majestatem lædit. R<sup>deo</sup> enim, qui ex pusillanimitate recusat pugnare habetur pro vili, conc. qui ex magnanimitate, neg. Dum populus integer vel monarcha, qui totum populum repræsentat, & ad obsequia habet, pacem proponit, non ex pusillanimitate, sed ex Magnanimitate agit, vult enim potius bonum utriusque populi, etiam hostis, quàm alteriutrius damnum, ac forsitan interitum. Non obstat II. quod belli fugere semper sit indecorum; Atqui petens pacem bellum fugit, alias pacem non quereret, quam certè generosi milites non querant; Ergò pacem petere, seu proponere erit indecorum. R<sup>deo</sup> belli fugere, idest in prælio, vel in acie, turpe est, conced. belli  
tem.

tempore alio, quàm in acie fugere, idest bellum sine causa legitima deserere turpe habetur, conc. legitima de causa bellum deserere, ac evitare, seu per pacem finire, turpe habetur, nego; Imò pro populorum conservatione, ad bono decora pace bellum terminare gloriosissimum est; Satius enim, ac nobilius semper habitum fuit, potius unum civem servare, quàm decem hostes occidere.

### PERORATIO.

**P**lura quidem de jure gentium addenda forent; verùm in honorem brevitas, hactenus dicta pro Academica exercitatione sufficiant. Totam exhaustire materiam in votis non fuit, nec enim tempus, nec vires sufficiebant; Imò inutilia plura fuissent, cum amplissimi ubique adsint Authores, qui hoc de jure doctissime disseruerunt, inter quos maximi certe faciendi Bodinus de Republica, Hugo Grotius de jure belli, & pacis, Huberus de jure Civitatis, nec Pufendorfius ultimum tenet locum, nec alii quam plures promerita laude fraudandi.

Hoc mihi præcipue in scopo fuit, ansam amplissimo Auditorio, præsertim (tit. omnibus Colendissimis) Dominis Oppugnantibus sensus suos profundissimos, & refertissimam eruditionem in medium afferendi præbere, ut vel ab illorum solidissimis objectionibus notitiam, quâ me adhuc indigere sincere fateor, mediante placida, gratissimaque disputatione possem acquirere. Et quidem jam me voti mei compotem factum sentio, siquidem



dem plurimum intra horam, quibus  
huc latebant. Quibus ante  
tionum meorum, quibus  
impenetrabilem. Seno tantis  
sistendum est, ut defensionem  
pro viribus sustinerem.  
angustias reducere poterit, quis  
sistat?

Hinc non potest, sed gratiosissima  
SIMI ac EXCELLEN  
R. I. COMITIS, hujus  
PITANEI dignissimi, REGII REGIMINI  
TRISSIMI DOMINI AC  
orumque Procerum praesentis  
desisterent, nec me ad  
huerint. Nihilominus ut  
trum tamen habebunt, qualem  
demisse profiteor pro gratiosissima  
nore mihi benigne exhibito, me  
onem, gratiam, favorem, ac amicitiam  
millime commendans.

DIXI.



